45-14

INCERTI AUCTORIS
CHRONICON
PSEUDO-DIONYSIANUM VULGO DICTUM
I

CHRONICON ANONYMI

[Ab initio] [1] viae creationis mundi incipimus [et tempora] [2] ponimus in libro hoc, ne perturbetur mens lectoris et auditus auditoris.

In principio creavit Deus coelum et terram; terra erat tūh wabūh, et tenebrae super faciem abyssi, et spiritus Dei fovebat faciem aquarum. Et dixit Deus: Sit lux! — Et facta est lux. Et vidit Deus lucem pulchram esse; et separavit Deus inter lucem et tenebras; et appellavit Deus lucem diem, et tenebras appellavit noctem. Et fuit vesper et fuit mane: dies una. Haec creata sunt prima die, id est dominica.

Die secunda dixit Deus: Sit firmamentum in medio aquarum, et sit dividens inter aquas et aquas. Et fecit Deus firmamentum, et divisit inter aquas quae infra firmamentum et aquas quae supra firmamentum. Et ita fuit. Et appellavit firmamentum coelum. Et fuit vesper et fuit mane: dies secunda. * Haec creavit Deus die secunda. * p. 3.

Die autem tertia dixit Deus: Congregentur aquae quae sunt sub coelo in locum unum, et appareat aridum. Et ita fuit. Et Deus appellavit aridum terram, et collectionem aquarum appellavit maria. Et vidit Deus quod esset pulchrum. Et dixit Deus: Producat terra gramen herbam cuius semen seminatur iuxta eius genus, et arborem frugiferam, quae faciet fructus iuxta genus eius, quae plantatur super faciem terrae. Et ita fuit. Et produxit terra gramen herbam cuius semen seminatur iuxta genus eius et arborem frugiferam iuxta genus eius, quae plantatur super terram. Et vidit Deus quod esset pulchrum. Et fuit vesper et fuit mane: dies tertia.

Die autem quarta dixit Deus: Sint luminaria in firmamento coelorum ad distinguendum inter diem et noctem: et sint in signa et in tempora, et in dies et in annos; et luceant in firmamento

[1] Restitutio coniecturalis. — [2] Deest una vox in cod.

coeli ad illuminandum super terram. Et ita fuit. Et rursum creavit Deus duo luminaria magna: luminare maius ad regendam diem et luminare minus ad regendam noctem, et stellas, dedit eas [1] Deus in firmamento coeli ad illuminandum super terram, et ad regendum diem et noctem, et ad discernendum inter lucem et tenebras. Et vidit Deus quod esset pulchrum. Et fuit vesper et fuit mane: dies quarta.

Die autem quinta rursum dixit Deus: Scaturiant aquae reptilibus viventibus, et volet volucer super terram ad faciem firmamenti coelorum. Et creavit Deus dracones magnos et omnem animam viventem reptantium quibus scaturivere aquae, iuxta eorum genus, et omnem volucrem alatum iuxta eius genus. Et vidit Deus quod esset pulchrum. Et benedixit eis Deus
* p. 4. et dixit eis: Fructificate * et multiplicamini, et replete aquas marium; et volucer multiplicetur supra terram. Et fuit vesper et fuit mane: dies quinta.

Die autem sexta, quae est dies parasceves, qua creatus est Adamus et qua erecta est crux in Gogoltha, et qua redemptus est mundus, dixit Deus: Producat terra animal iuxta genus eius: et iumentum et reptile, et bestiam terrae iuxta genus eius. Et ita fuit. Et fecit Deus animal iuxta genus eius, et iumentum iuxta genus eius, et omnia reptilia terrae iuxta eorum genus. Et vidit Deus quod esset pulchrum.

Quoad conditionem hominis dixit Deus: Faciamus hominem in imaginem nostram iuxta similitudinem nostram; et dominentur in pisces maris, et in volucres coeli, et in iumentum, et in omne animal terrae, et in omne reptile quod reptat super terram.

Intellege, sapiens, creationem primum creatam fuisse et deinceps ultimo ipsum Adamum, ne forte ausus sit dicere: Omnia creavi etiam ego sicut ille. Scriptum est [2]: Verbo Domini creati sunt coeli, et spiritu oris eius omnes exercitus eorum; et rursum [3]: Ipse dixit et facti sunt; ipse mandavit et creati sunt; et constituit eos in saecula saeculorum. Hic autem non ita fuit. Non dixit: Sint; sed: Venite, faciamus hominem

[1] Vel *ea*, nempe « solem, lunam et stellas ». — [2] *Ps.* XXXII, 6. — [3] *Ps.* CXLVIII, 5.

ad imaginem nostram, iuxta similitudinem nostram. Supra, verbum; hic, opus manuum divinitatis, non mandatum. Angelos et omnes ordines coeli spiritu oris eius dicit creatos esse; hic Trinitas cuncta invitatur ad conditionem hominis. Pudere decet haereticos et paganos ad hoc verbum, qui insurgunt in Filium et Spiritum dicuntque non esse consubstantialem Patri Filium vel Spiritum, dum audiunt * Patrem ad Filium * p. 5. Spiritumque clamantem et dicentem: Venite. Non dixit: Veni, quasi uni; sed: Venite, quasi ad duos; et ille qui praecepit ut principium trium. Dixit enim: Venite, faciamus hominem ad imaginem nostram iuxta similitudinem nostram. Et rursum dixit, ostendens unam esse naturam Trinitatis, non autem tres deos aut tres essentias: Et creavit, inquit, Deus Adamum ad imaginem suam, et in similitudinem Dei creavit eum; mares et feminam creavit eos. Et benedixit eis Deus, et dixit eis Deus: Fructificate et multiplicamini; et replete terram, et subicite eam, et dominamini in pisces maris, et in volatile coeli, et in iumentum et bestiam, et in omne reptile quod reptat super terram. Et dixit Deus: Ecce dedi vobis omnem herbam quae seminatur super faciem universae terrae. Observa rursum, non dictum fuisse ad hominem: Dixerunt, sicut prius *dictum fuit*: Venite, faciamus; sed *singulari numero*: Dixit Deus; ostendens quidem unam naturam esse Trinitatem. Et iterum dixit: Et plasmavit Dominus Deus Adamum e pulvere terrae, et inspiravit in faciem eius spiramen vitae; et factus est Adamus in animam viventem. Hac autem die sexta creatus est Adamus et ea transgressus est mandatum, et ea elevatus est Dominus noster super lignum, et ea facta est salus universo mundo.

Et sabbato requievit Dominus ab omnibus eius operibus quae fecit. Et benedixit Deus diei septimae et sanctificavit eam; eo quod in ea requievit ab omnibus operibus eius quae creavit; in ea etiam requievit Dominus noster in sepulcro, et sibi requiem dedit ab omnibus passionibus quas tulit in Goltha, et ea *etiam* requiem obtinuit universa captivitas quam reduxit e manibus depraedatoris.

Et anno 230° creationis mundi et Adami, natus est Sethus.

Et anno 435^{0} * genuit Sethus Enosum. * p. 6.

Et anno 625° genuit Enosus Cainanum.

Et anno 795° genitus est Mahlaleel e Cainano.

Et anno 930° decessit Adamus ab hoc mundo. Et condiverunt eum filii eius, et deposuerunt eum in Spelunca thesaurorum[1]........., in monte qui vocatur Seïr, quae est [ad latus][2] orientale contra Oceanum magnum. In hac autem Spelunca thesaurorum deposuit Adamus aurum, myrrhan et thus, ipse et Sethus filius eius, in saccis et obsignavit eos annulo suo et annulo Sethi filii sui. Et libros scripsit mandavitque filiis suis: Cui vestrum apparebit tempore suo lancea ignea, habens stellam lucis in capite, ad os Speluncae thesaurorum, ille sumat munera haec et sequatur stellam quo iverit, et offerat ea regi illi qui ibi natus est. — In hac spelunca, in qua posuerat Adamus aurum, myrrham et thus, tanquam in honorem Christi et propter eius nativitatem in carne, ipse depositus est. Et notavi haec breviter, ut quam ob causam appellata est spelunca haec Spelunca thesaurorum scires, et intellegeres quod propter aurum, myrrham et thus, quae allata sunt Domino nostro in eius nativitate, quae in ea ab Adamo et Setho deposita erant, appellata est Spelunca thesaurorum.

Et anno 960° Mahlaleel genuit Iaredum. — Et anno 40° Iaredi, explicit millenarium primum, secundum supputationem τῶν LXX.

Et anno 1082° natus est Henochus.

Et anno 1142° decessit ex hoc mundo Sethus.

Et anno 1247° Mathusala ab Henocho genitus est.

Et anno 1340° decessit ex hoc mundo Enosus; et eum sepeliverunt filii eius, et deposuerunt eum in Spelunca thesaurorum.

* p. 7. Anno 1414° * Lamechus a Mathusala genitus est.

Anno 15[96°] Noachus a Lamecho genitus est.

Anno 1690° decessit ex hoc mundo Mahlaleel; et eum condiverunt filii eius, et deposuerunt eum in Spelunca thesaurorum iuxta patres eius.

Anno 1535° decessit ex hoc mundo Cainanus, et in Spelunca thesaurorum depositus est.

1 Lacuna duarum vocum. — 2 Supplevit Tullberg.

Anno 1602º natus est Noachus.

Anno 1902º decessit ex hoc mundo Iaredus, decima tertia mensis ā d ā r, feria sexta, ad occasum solis, dum plorat in angore et tristitia magna ob descensum filiorum Sethi ad filias Caini. Et condiverunt eum Henochus et Mathusala et Lamechus et Noachus; et etiam fecerunt super eum luctum quadraginta dierum, et sepeliverunt eum in Spelunca thesaurorum.

Anno 1407º Henochus translatus est.

Anno 221[6º] decessit ex hoc mundo Mathusala, die vicesima prima menis ē l u l, feria quinta, annis XXVI ante diluvium, et in Spelunca thesaurorum depositus est.

Anno 358º vitae Noachi, completum est millenarium secundum, iuxta interpretationem τῶν LXX. — Et anno 126º Lamechi, completum est millenarium primum iuxta supputationem hebraicam Iudaeorum. — Et anno 293º Noachi, completum est millenarium primum iuxta supputationem hebraicam Samaritanorum.

Noachus, natus annos D, sumpsit sibi uxorem Haikalem filiam Namusi, filii Henochi, fratris Mathusalae. Et revelavit ei Deus de diluvio quod paratus erat facere; et locutus est cum eo eique dixit: Abhinc in annos centum et triginta, facturus sum diluvium; sed fac * tibi arcam, in salvationem filiorum domus * p. 8.
tuae. Et eam fac infra, mediis castris filiorum Caini; ligna eius ex hoc monte excidantur; et ita sit: longitudo eius trecentos cubitos iuxta cubitum tuum, latitudo eius quinquaginta, altitudo eius triginta; ad unum cubitum finietur superne. Et fac in ea contignationes tres, inferiorem pro animalibus et iumentis, mediam volatilibus, et superiorem filiis domus tuae. Fac in ea receptacula pro aquis et condita pro cibis. Et fac tibi tintinabulum e ligno ebeno, ligno imputrescibili: eius longitudo *sit* tres cubitos et eius latitudo cubitum et dimidium, et malleum ex eo *ligno*; et percuties illud tribus vicibus in die: prima, mane ut congregarentur artifices ad opus arcae; et media die, ut cibum sumerent, et tempore vespertino ut requiescant. Et cum audient sonitum percutionis tuae et dicent tibi: Quid est quod facis?, dic eis: Diluvium aquarum facturus est Deus. — Et fecit omnia quae eum iussit Deus. Et nati sunt ei

tres filii, spatio centum annorum; et sumpsit eis uxores e filiabus Mathusalae.

Et anno 2238°, mense ādār, die prima hebdomadis, decima septima huius mensis, decessit Lamechus ex hoc mundo, annis quattuor ante diluvium, et in Spelunca thesaurorum depositus est.

Et anno 2242° fuit diluvium. Cum autem propinquum erat diluvium venire super terram, ingressus est Noachus Speluncam thesaurorum, et osculatus est corpora sancta Sethi, et Enosi, et Cainani, et Mahlaleelis, et Iaredi, et Mathusalae, et Lamechi patris sui. Et sustulit Noachus corpus Adami, et Semus aurum, et Chamus myrrham, et Iaphetus thus, et egressi sunt e Spelunca thesaurorum, flentes in dolore et afflictione magna, et maestitia induti, eo quod privarentur habitaculo
* p. 9. * hoc desiderabili patrum suorum. Et levaverunt omnes oculos suos ad paradisum; et fleverunt in dolore, et ingemuerunt et dixerunt: Mane in pace, paradise sancte, domicilium primum; Adamus pater noster e te vivus egressus est nudus et pudens, et ecce hodie privatur vicinio tuo, et mortuus in exilium externum conicitur cum filiis suis, in hanc terram maledictionum ubi posteri eius doloribus, morbis, labore, defatigatione, molestia affligentur. Manete in pace, Spelunca thesaurorum et corpora sancta. Mane in pace, domicilium et haereditas patrum nostrorum. Manete in pace, patres et patriarchae nostri. Orate pro nobis in pulvere iacentes, amici et dilecti Dei. Orate pro posteris qui supersunt ex omnibus generationibus vestris. Precamini pro nobis in orationibus vestris, placatores Domini nostri. Mane in pace, Henoche iuste, minister Dei; ora pro nobis Dominum tuum. Mane in pace, mons sancte, conventus et portus Angelorum. Vos, patres nostri, clamate dolorose pro nobis, quia hodie privamini societate nostra, et nos ululabimus amare, quia eicimur in terram sterilem quae sit domicilium nostrum simul ac bestiarum. Vae nobis, qui non amplius visuri sumus faciem haereditatis vestrae. — Et cum descenderent de monte sancto, osculabantur eius lapides et amplexabantur eius arbores. Et descenderunt in dolore et flentes in mediam planitiem. Et ingressus est Noachus, et deposuit corpus patris nostri Adami in medio arcae et supra illud munera illa posuit.

Die decima mensis iyar ingressus est Noachus arcam, feria quarta, et feria sexta induxit iumenta et volatilia; et die decima septima eiusdem mensis, cataractae coeli apertae sunt et abyssi * terrae ruptae sunt, et exundavit Oceanus magnus qui circumdat * p. 10. universam terram, et aperta sunt horrea ventorum et portae procellarum; et rugiit Oceanus et exundavit. Et cucurrerunt filii Sethi ad arcam, et Noachum deprecabantur ut eis aperiret. Adscendere autem montes paradisi nequibant, et arca clausa et obsignata erat; et angelus domini stans supra illam factus est gubernator. Et cum praevaleret in eos diluvium, coeperunt suffocari fluctibus urgentibus et tremendis, et fuerunt in oppressione durissima. Et super eos adimpletum est quod dixit beatus David[1]: Ego dixi: dii estis et filii Altissimi vocati estis; et cum iam id fecistis, et dilexistis impudicitiam domus Caini, sicut hi eritis et morte eorum moriemini, et reputabimini mihi quasi Satanas unus e maioribus qui ceciderunt[2]. Et e terra sublata est arca vi aquarum et aquis suffocati sunt omnes homines, et iumenta et volatilia et quidquid fuit super faciem terrae. Et adscenderunt aquae supra omnia cacumina montium quindecim cubitos, mensura spiritus, ut scriptum est[3]. Et sustulerunt arcam aquae, dum fluctus eam ferunt, usque ad radices paradisi, et cum salutavisset paradisum, inclinavit caput eius inundatio et lambit fines paradisi, et retroversa est ad perdendam universam terram. Et volitavit arca alis spiritus super diluvium ab oriente usque ad occidentem et ab aquilone usque ad austrum, et signavit crucem in universam terram super diluvium. Denique requievit arca mense septimo, die decima septima mensis, supra montes Cardu, et apparuerunt vertices montium. * Et post dies * p. 11. XL aperuit Noachus fenestram arcae quam fecerat, et emisit corvum; qui cum egressus esset, non reversus est donec exsiccatae sunt aquae super terram. Et emisit inde a se columbam ut videret num aquae imminutae sint super faciem terrae. Et non invenit locum columba ubi ponat pedem suum, et reversa est ad eum in arcam, quia aquae erant super faciem universae terrae; et extendit manum et apprehendit illam, et eam

[1] *Ps*, LXXX, 6. — [2] Cf. Luc., X, 18. — [3] *Gen.*, VII, 20.

introduxit ad se in arcam. Et exspectavit septem alios dies, et rursum emisit columbam ex arca; et venit ad eum tempore vespertino, ramum olivae tenens ore suo. Et novit Noachus aquas immunitas esse super faciem terrae. Et exspectavit rursum septem alios dies, et rursum emisit columbam, et non amplius reversa est columba ad ipsum.

Et anno 2203° egressus est Noachus ex arca. — Dies autem quibus fuit Noachus in arca sunt CCCLXXXII, nam die decima mensis secundi ingressus est, et die decima septima fuit diluvium, et die vicesima septima eiusdem mensis secundi, i.e. iyar, egressus est.

Et anno 2204° Arphaxades a Semo genitus est.

Ab Adamo autem ad diluvium sunt anni MM[CCXL]II. Et anno 600° Noachi et 100° Semi, fuit diluvium.

Et anno 2337° natus est Sala.

Et anno 2467° natus est Heber e Sala.

Et anno 2601° genuit Heber Phalegum. — Hoc autem tempore in insanitate homines adscendere in coelum tentaverunt. Erat autem universa terra unius linguae et unius sermonis. Accidit ut cum adscenderent ab Oriente invenirent planitiem in terra Sennaar et ibi sederunt, et dixerunt vir ad socium suum: Venite, formemus lateres et coquamus eos igni. Et fuit
*p. 12. eis *later pro lapide et calx fuit eis pro coemento. Et dixerunt: Venite, aedificemus nobis civitatem et turrim cuius vertex sit in coelo, et faciamus nobis nomen, priusquam dispertiremur super faciem terrae. — Et descendit Deus ad videndam civitatem et turrim quas aedificabant homines. Et dixit Dominus: Ecce populus unus, et una lingua est omnibus, et ita facere cogitaverunt, nec inferius eis erit quidquid facere cogitaverunt. Venite, descendamus, et dividamus illic linguas, ne audiat vir linguam socii sui. — Vide hic, impugnator Filii et Spiritus, quis vocet et quis descendat et [quis confundat, et intellege] [1] Spiritum qui divisit linguas in Babel et in caenaculo eumdem esse. Et rursum ait [2]: Ecce Adamus factus est sicut unus ex nobis. In ore duorum vel trium testium stabit omne verbum [3]. Venite, faciamus hominem ad imaginem nos-

[1] Voces evanidae. — [2] *Gen.*, III, 22. — [3] *Deut.*, XIX, 15.

tram secundum similitudinem nostram. Ecce Adamus factus est sicut unus ex nobis: Venite, descendamus et dividamus illic linguas[1]. Haec tria testimonia testantur Patrem et Filium et Spiritum.

Eo autem tempore confusae sunt linguae, diebus Phalegi filii Heberi, et eo tempore dispersi sunt homines super faciem universae terrae, et destiterunt ab aedificatione urbis, et propterea appellata est Babēl, quia ibi confudit Dominus linguas totius terrae.

Eo autem tempore notus est, prout dicit sermo *sacer,* Iobus iustus, qui erat filius Iectanis filii Heberi, fratris Phalegi. Hoc etiam testatur Iacobus[2]; neque Moyses qui de ipso scripsit ignoravit sensum, nam recenset filios Edomi usque ad Iobab filium Zarae[3], ut dicat « hic est Iobus »[4]; etiam ille Iobab diebus Moysis floruit, quemadmodum testatur liber Creationis.

Et anno * 2592°, decessit Noachus ex hoc mundo, natus * p. 13.
annos DCCCCL.

Et anno 2731° natus est Ragavus e Phalego.

Et anno 2744°, decessit ex hoc mundo Semus filius Noachi.

Et anno 2863°, natus est Sarugus e Ragavo. Et anno 95° Sarugi completum est millenarium tertium.

Eo autem tempore intraverunt idola in mundum. Hinc coeperunt filii Noachi adorare sculptilia, et facere malum, et aedificare civitates, et se invicem depraedari et impugnare.

Et anno 31° Sarugi completum est millenarium secundum, iuxta supputationem hebraicam Samaritanorum.

Anno 2898°, natus est Nachorus.

Anno 2977°, natus est Tharachus. Et Tharachus natus annos LXX genuit Abrahamum.

Eo autem tempore regnabat super Niniven Ninus, qui ipse aedificavit Niniven et eam de suo nomine, Niniven appellavit. Et anno 43° regni huius, natus est Abrahamus. Et regnavit primus in Asiam universam, praeter Indiam, is Ninus filius Beli annos LII. — Annus 43us eius erat annus primus Abrahami.

1 *Gen.*, XI, 7. — 2 Putat Tullberg alludi ad IAC., V, 11; quod valde dubium est. — 3 *Gen.*, XXXVI, 33. — 4 Videtur esse lapsus; textus biblicus ait « ipse est Edom » (XXXVI, 1).

Et quia non invenimus supputationem quae congruat cum altera, ponimus hic antiquos patres prout sunt in Libro *sacro.*

Adamus natus annos cxxx genuit Sethum.

Sethus natus annos cxxxv[1] genuit Enosum.

* p. 14. Enosus natus annos cxc *genuit Cainanum.

Cainanus natus annos clxx genuit Mahlaleelem.

Mahlaleel natus annos clxv genuit Iaredum. — Et anno 40° Iaredi completum est millenarium primum.

Iaredus natus annos cxxii genuit Henochum.

Henochus natus annos clxv genuit Mathusalam.

Mathusala natus annos clxvii genuit Lamechum.

Lamechus natus annos clxxxviii genuit Noachum.

Noachus natus annos d genuit Semum. — Et anno 358° Noachi completum est millenarium secundum.

Semus natus annos cii genuit Arphaxadem.

Arphaxades natus annos cxxxv genuit Salam.

Sala natus annos cxxx genuit Heberum.

Heber natus annos cxxxiv genuit Phalegum.

Phalegus natus annos cxxx genuit Ragavum.

Ragavus natus annos cxxxii genuit Sarugum. — Et anno 95° Sarugi completum est millenarium tertium.

Sarugus natus annos cxxxv genuit Nachorum.

Nachorus natus annos lxxix genuit Tharachum.

Tharachus natus annos lxx genuit Abrahamum.

Abrahamus natus annos c genuit Isaacum.

Isaacus natus annos lx genuit Iacobum.

Iacobus natus annos lxxxvi genuit Levi.

Levi natus annos xlvi genuit Cahathum.

Cahathus natus annos lx genuit Amramum.

Amramus natus annos lxx genuit Moysen. — Et anno 80° Moysis ex Aegypto egressi sunt Israelitae.

HINC GUBERNATORES:

Primus Moyses xl annis.

Iosue xxvii annis.

Mesopotamii et Othoniel xl annis.

1 Sic ms.

Moabitae et Ahod LXXX annis.
Chananaei, et Debbora et Barac XL annis.
Madianitae et Gedeon XL annis.
Abimelech III annis.
Thola XXIII * annis.
Iaïr XXII annis. — Et anno 19° Iaïri completum est millenarium quartum.
Ammonitae et Iephte VI annis.
Hesbon VII annis.
Labdon VIII annis.
Philisthae et Samson XX ann.
Heli XL annis. *p. 15.
Samuel et Saul XL annis.

HINC REGES E TRIBU IUDAE:

David XL annis.
Salomon XL annis.
Roboham XVII annis.
Abia III annis.
Iosaphat XXII annis[1].
Ioram VIII annis.
Ochozias anno.
Athalia VII annis.
Ioas, XL annis.
Amasias XXIX annis.
Azarias LII annis.
Iotham XVI annis.
Achaz XVI annis.
Ezechias XXIX annis.
Manasses LV annis.
Amon [II] annis.
Iosias XXXI annis.
Ioachaz tribus mensibus.
Ioachim XI annis.
Iochonias tribus mensibus.
Sedecias XI annis.

HINC REGES PERSARUM. — Ab anno 4° Salomonis hucusque sunt sunt anni DXII.

Cyrus XXXIV annis.
Xer[ses ...... [2]].
Artaxerses XLI annis.
Xerses ......
Darius XVI annis.
Artaxerses XL annis.
[Ochus XXVI] annis.
Arses IV annis.
Darius VI annis.

[1] Asa omittitur. — [2] Transcripsimus quae Tulberg legere sibi visus est. Plura hinc sumpsit Michael Syr. (*Chron.*, p. 64-71); intuenti imaginem photographicam manifestum erit spatia confusis nunc litteris maculata satis ampla esse ut cuncta nomina recepissent quae in serie Regum Medorum libro priori Canonis Eusebiani inserta (Maii, p. 257) enumerantur. Haec autem series sic se habet: Κύρος ἔτη λα'. Καμβύσης ἔτη η'. Μάγοι ἀδελφοὶ μῆνας ζ'. Δαρεῖος ἔτη λς'. Ξέρξης ἔτη κ'. Ἀρτάβανος μῆνας ζ' Ἀρταξέρξης ἔτη μα'. Ξέρξης μῆνας β'. Σογδιανὸς μῆνας ζ'. Δαρεῖος ὁ Νόθος ἔτη ιθ'. Ἀρταξέρξης ὁ καὶ Μνήμων ἔτη μ'. Ὦχος ὁ Ἀρταξέρξου παῖς ἔτη ε'. Ναρσῆς ἔτη δ'. Δαρεῖος ὁ Ἀρσάμου ἔτη ς'.

Hinc reges Macedonii:

Alexander VI annis.
Ptolemaeus XL annis.
Philadelphus XXXVIII annis.
Euergetes XXVI annis.
Philopator XVII annis.
Epiphanes XXIV annis. — Et anno 16° eius completum est millenarium quintum.
Philometor XXXV annis.
Euergetes XXIX annis.
Soter XVII annis.
Alexander X annis.
Ptolemaeus VIII annis.
Dionysius XXX annis.
Cleopatra XXIV annis. — Explicit *series* Ptolemaeorum.

*p. 16. ### * Regum Romanorum *series* ab hinc:

Augustus XL annis; omnes eius anni LVI.
Tiberius XXIII annis.
Gaius IV annis.
Claudius XIV annis.
Nero XIII annis.
Vespasianus X annis.
Titus II annis.
Domitianus XV annis.
Nerva uno (anno).
Traianus XVI annis.
Hadrianus XXI annis.
Antoninus XXII annis.
Antoninus XVI annis.
Commodus XIII annis.
Pertinax VI mensibus.
Severus XVIII annis.
Antoninus septem annis.
Macrinus uno (anno).
Antoninus quattuor (annis).
Alexander filius Mammaeae XIII (annis). Is fuit christianus.
Maximinus III annis.
Gordianus VI (annis).
Philippus VII annis. Is etiam fuit christianus.
Decius uno (anno).
Gallus duobus (annis).
Valerianus XV annis.
Claudius uno (anno).
Aurelianus sex (annis).
Tacitus mensibus VI.
Probus sex (annis).
Carus duobus (annis).
Diocletianus viginti (annis).
Constantinus XXXIII (annis).
Constantius eius filius XXIV (annis).
Iulianus II (annis).
Iovinianus uno (anno).
Valens XIV annis.
Gratianus uno (anno).
Theodosius maior XVI annis.
Arcadius XXIX (annis).
Theodosius minor XXVI annis.
Marcianus septem (annis).
Leo XVI annis.
Zeno XIX (annis).
Anastasius, XXVII. — Et anno 16° Anastasii completum est millenarium sextum.
Iustus octo (annis).
Iustinianus XL (annis).

Iustinus XI (annis).
Tiberius octo (annis).
Mauricius XXII (annis).
Phocas octo (annis).
Heraclius XXXI (annis).
Constantinus uno (anno).
Constantinus XXIV[1] annis.
Constantinus XVI (annis).
Iustinianus decem (annis).
Leontius[2] tribus (annis).
Tiberius septem (annis).
Iustinianus sex (annis).
Philippicus II (annis).
Anastasius II (annis).
Theodosius uno (anno).
Leo XXV (annis).
Constantinus eius filius[3] XXXV annis.
Leo filius eius[4]......

* Ab Adamo usque ad diluvium anni MMCCXLII; et a diluvio usque ad Abrahamum anni DCCCCXLII. * p. 17.

[Regnavit primus] in universam Asiam, excepta India, Ninus Beli filius, annos LII.

Et anno 43° [eius regni] natus est Abrahamus. Et hic est annus primus Abrahami.

Et anno 6° Abrahami, aedificavit Ninus Niniven in terra Assyriae ad Tigrim, et de suo nomine eam Niniven appellavit.

Anno 7° Abrahami, fuit bellum inter Ninum, regem Ninives, et Zoroastrem[5] magum, regem Bactrianorum[6].

Et anno 10° Abrahami, mortuus est Ninus rex Ninives; et regnavit Semiramis, uxor eius, loco eius XLII annos. De ea historiae multae narrantur. Tenuit Asiam; et ob inundationem aggeres extruxit.

Anno 22°, Semiramis Babylonem aedificavit.

Anno 45° initium iubilaei XLI secundum computum Hebraeorum. Iubilaeum autem apud eos dicitur *spatium* quinquaginta annorum; ita ut ab Adamo usque ad hunc annum, secundum eorum supputationem, duo milia annorum fluxerint. Hoc est quod dixi, in supputatione annorum inter se non concordare, dum unus minuit, alter auget *numerum*.

Anno 52° Abrahami, Semiramis regina Ninives mortua est, et post eam regnavit Ninyas[7], filius eius, annos XXXVIII.

[1] Vel XXVI (Tullberg). — [2] In cod. *Valentius*. Correxit Tullberg. — [3] Quae sequuntur serius addita videntur. — [4] Post hanc vocem vacat reliqua linea. — [5] Ms. ZODASTRS. — [6] Ms. QRITE; corrigendum e vers. Hieronymi. — [7] Ms. NINS. Νινύας ὁ καὶ Ζάμης (*Syncellus*).

Anno 75° Abrahami, Dei revelatione dignus habitus est et promissione, quae ei facta est. Et hic est annus primus repromissionis; et eo Abrahamus e domo patris sui ex *urbe* Ḥarran exivit et Euphraten transiit cum Sara uxore sua.

Anno 76°, fuit fames magna, et in Aegyptum descendit
* p. 18. Abrahamus * cum Sara uxore sua.

Anno 86°, Abrahamo ex Hagare natus est Ismael pater Arabum.

Anno 90°, mortuus est Ninyas[1] rex Ninives; et pro eo regnavit Arius[2] annos xxx.

Anno 100° Abrahami, natus est Isaacus.

Anno 101° Abrahami, prophetarum principis, Verbum Dei in figura humana ei apparuit, et vocationem gentium annunciavit, quam nostro tempore verbum Christi ad finem perduxit per praedicationem doctrinae apud omnes gentes.

Anno 120° Abrahami, mortuus est Arius, rex Ninives, et regnavit pro eo Aralius[3], annos xl.

Anno 140° Abrahami, et Isaaci anno 40°, *is* Rebeccam *uxorem* sumpsit.

Et anno 160°, Isaaco ex Rebecca nati sunt filii gemini: prior Esau, id est Edom, e quo Edomitae nomen habuerunt; alter Iacobus ex quo Israelitae, qui sunt Iudaei.

Eo autem tempore floruit Melchisedech, rex Salem, qui fuit sacerdos Dei Altissimi[4].

Anno 160°, mortuus est Aralius, rex Assyriae, et eius loco regnavit Aḥšīras[5], annos xxx. Eo autem tempore imaginem fecerunt Aegyptii Ionis[6] et eam adoraverunt. Et etiam fluvium Ionem[7], de eius nomine appellaverunt. Rursum, floruit hoc tempore Castor chronographus[8].

Anno 175°, qui est annus 100° promissionis, ex hoc mundo decessit Abrahamus, natus annos clxxv.

Anno 176°, Antiochia ad Orontem fluvium aedificata est
* p. 19. a * Casso et Belo Inachi[9] filiis. Haec est prima aedificatio huius civitatis.

1 Ms. ninvs. — 2 Ἄρειος (*Sync.*). — 3 Ἀράλιος (*Sync.*). — 4 *Gen.*, xiv, 17; cf. Ios., *Ant. Iud.*, I, x. — 5 Ξέρης (*Sync.*). — 6 Ἰώ (*Sync.*). — 7 Βόσπορος (*Sync.*). — 8 Ad litt.: Scriptor de temporibus. — 9 Ἴναχος (*Sync.*).

Anno 190°, rex Assyriae mortuus est; et eius loco regnavit Armamithros [1], annos XXXVIII.

Rursum, eo tempore statuam erexerunt Aegyptii Api, eumque venerati sunt et deum Serapim [2] eum appellaverunt.

Anno 228°, rex Assyriae mortuus est; et eius loco regnavit Balachus [3], annos XXXV.

Hoc autem tempore florebant Phoroneus filius Inachi, et Niobe antiquus, auctores legum et tribunalium [4]. Horum quidem temporum quasi valde antiquorum meminit Plato, dum in libro qui inscribitur Timaeus ita loquitur; et aliquando cum cogitaret verba facere de viris antiquis, qui fuerint in aliqua civitate antiquissimi, conatus est disserere de Phoroneo, qui primus ita appellatus est, et de Niobe, et de his qui post diluvium *vixerunt*.

Anno 231°, bellum moverunt Telchines et Caryatae contra Phoroneum et Parrhusios [5].

Anno 236°, aedificatae sunt Athenae civitas et Eleusina ab Ogyge.

Anno 237°, descendit Iacobus in Mesopotamian, et apud Labanum servivit annos XIV.

Anno 246°, natus est Ruben primogenitus Iacobi.

Anno 247°, Iacobus genuit Simeonem et Levi [ex eodem] utero [6].

Anno 248°, Iacobus genuit Iudam, a quo Iudaei nomen ceperunt.

Anno 252°, Iacobus genuit Iosephum. * Et anno primo * p. 20.
Iosephi erat Iacobus natus annos XCII. Et repromissionis erat annus 278us.

Anno 256°, aedificata est Messana.

Anno 258°, fuit diluvium, quod in diebus Ogygis.

Anno 262°, mortuus est rex Assyriae, et eius loco regnavit Balaeus [7] annos LII.

[1] Ἀρμαμίτρης (*Sync.*). — [2] Ἄπιν φασὶ . . . Σάραπιν (*Sync.*). — [3] Βήλωχος (*Sync.*). — [4] Sic textus; scriba enim Niobem pro viro habuit. Restitue: « floruit Phoroneus filius Inachi et Niobae, primus auctor legum et tribunalium ». Eus., *Chron.*, ad ann. 211. — [5] Τελχῖνες καὶ Καρυάται πρὸς Φορωνέα καὶ Παῤῥασίους (*Sync.*). — [6] Simeonem et Levi fratres geminos existimasse videtur auctor. — [7] Βαλαιός.

Anno 268°, Iosephus a fratribus suis venditus est, et in Aegyptum descendit.

Anno 276°, aedificata est Memphis in Aegypto, ab Api rege Argivorum.

Anno 279°, in Aegyptum regnavit Apophis[1]. Is vidit somnia quae Ioseph interpretatus est, et is Iosephum secum regnare fecit.

Anno 282°, Apophis, qui est Pharao, somnia vidit. — Et eo anno Iosephus in Aegyptum princeps constitutus est. Et hic est annus primus ubertatis.

Anno 286°, decessit Isaacus ex hoc mundo, cum esset natus annos CLXXXV.

Anno 289°, coepit esse super universam terram fames magna, in qua Iosephus clarus factus est.

Anno 290°, Iacobus Aegyptum ingressus est, anno 126° repromissionis.

Anno 293°, mortuus est Apophis rex Aegypti, qui Iosephum regnare fecerat; et eius loco regnavit Amosis[2] annos XXV.

Anno 299°, aedificata est Sparta, a Sparto filio Phoronei.

Anni 305°, Iacobus decessit ex hoc mundo, cum esset natus annos CXLVII, postquam vaticinatus est de Messia et de vocatione gentium per hunc *peragenda*.

Anno 317°, mortuus est rex Aegypti; et eius loco regnavit
*p. 21. Chebron[3] * annos XIII, cum Iosepho.

Anno 331°, mortuus est Chebron, et regnavit Amenophis[4] (annos) XXI.

Eo tempore floruit Prometheus, qui in historia narratur homines finxisse. Cum enim esset sapiens, eos ab inscitia in disciplinas mutabat, et idcirco formatorem hominum eum vocarunt.

Anno 352°, mortuus est rex Aegypti; et alius nomine Maphres[5] regnavit cum Iosepho, annos XII.

Anno Abrahami 361°, de hoc mundo decessit Iosephus, cum esset natus annos CX; ex eis regnavit annos LXXX. Et hic erat annus 286us repromissionis. Et ab hoc coeperunt anni servitutis filiorum Israel.

[1] Ἄφωφις. — [2] Ἀμώσης (*Sync.*). — [3] Χέβρων. — [4] Ἀμενῶφις (*Sync.*). — [5] Μιφρίς (*Chron. Pasch.*).

Anno 364°, mortuus est Maphres, Iosephi amicus; et in Aegyptum eius loco regnavit Mispharmutoses [1], Iudaeorum inimicus, annos XXVI.

Anno 390°, is mortuus est, et regnavit Thutmosis [2] annos IX.

Anno 396°, floruit Syrus, rex Syriae, cuius nomine Syria appellata est.

Anno 400°, rex Aegypti mortuus est, et pro eo regnavit Amenophtes [3], annos XXXI.

Hoc autem tempore Aethiopes ab Indo flumine migraverunt et iuxta Aegyptum habitaverunt.

Hoc rursum tempore, cum in Aegypto plures essent reges, in regionem Heliopolis regnare coepit Palmanothis [4], qui erat Iudaeorum inimicus. Erat autem ei filia, cui nomen Merrhi [5], et dedit eam Chenephrae [6] regi Mempheos. Est autem haec Ragusa [7] quae accepit Mosen inter filios suos. Postquam autem adolevit Moses aedificavit Hermopolim, et bellum gessit cum Aethiopibus per decem annos; * et quia [8] post mortem Merrhi, quae Mosen adoptaverat, Chenephra eius maritus insidiose erga Mosen se gerebat eumque occidere volebat. — Merrhi * p. 22. autem sepulta est in Aegypto et ab ea nomen coepit urbs Meroē. — Ipse autem Moses, cum percepisset dolum Chenephrae, occidit Chananathum [9] qui ipsi mortem minabatur; et cum confugisset in Arabiam apud Raguelem, huius filiam uxorem duxit, ut scripsit Artamanus [10].

Anno 424°, Amram annos natus LXX genuit Mosen. — Hic est annus servitutis gravis filiorum Israel.

Anno 425°, Epidaurus urbs condita est.

Anno 430°, mortuus est rex Aegypti; et eius loco regnavit Orus [11], annos XXXVIII.

Anno 450°, aedificavit Xanthus Triopa Lesbi urbem [12]. — Eo tempore floruit primus Heracles et Cecrops.

[1] Μισφραγμούθωσις (*Sync.*). — [2] Τούθμωσις. — [3] Ἀμένωφις. — [4] Gr. Παλμανωθής. — [5] Gr. Μεῤῥί. — [6] Gr. Χενεφρών. — [7] Nomen videtur deductum ex prava interpretatione graeci textus: Αὕτη δὲ ἡ Μεῤῥὶ στεῖρα οὖσα ... (*Chron. pasch.*, ed. Ducange, p. 63). Cf. CHABOT, *C.R. de l'Acad. des Inscr.*, 1942, p. 396. — [8] Sic, parum concinne. — [9] Gr. Χανεθώθης. — [10] Ἀρτάβανος (Cf. EUS., *Praep. ev.*, IX, XXVII). — [11] Ὦρος. — [12] Sic sonat textus; cf. Mich. Syr., textus p. 22 (ed. Chabot).

Anno 466°, Moses Aegyptum reliquit et apud Raguelem se contulit.

Anno 468°, mortuus est rex Aegypti, et regnavit Achencheres[1] filia Euri, annos XII.

Anno 475°, adscenderunt Chaldaei ut bellum Phoenicibus intulerint.

Anno 480°, mortua est regina Aegypti, et regnavit frater eius Athurius[2] annos IX.

Anno 4[82°][3], Athnos civitas aedificata est a Duados[4].

Anno 483°, fuit diluvium in Thessalia, quod in diebus Phaethontis.

* p. 23. Anno 488°, clades *magnae fuerunt in Aethiopia, ut scribit Plato.

Anno 490°, mortuus est rex Aegypti, et regnavit Chencheres[5] annos XVI. Hic erat qui fecerit certamen cum Mose, auxilio Iannis et Mambris magorum. De isto dixit Moses: Submersit Pharaonem et exercitum eius in mari Rubro[6].

Anno 496°, Corinthus urbs aedificata est.

Anno 501°, Deus Mosi apparuit in monte Sinai; et ille missus est in Aegyptum, et decertavit cum Pharaone quinque annos, ita ut singulis annis signa duo fecerit.

Anno 502°, templum Apollinis, quod in Delo, conditum est ab Erisychthone.

Anno 506°, exivit populus Aegypto. Moses autem cum esset natus annos LXXX, principatum habuit in exitu filiorum Israel ex Aegypto; et fuit cum eis in deserto, tradens eis leges, XL annos. Hoc autem tempore, Heracles qui vocatur Dionysius floruit, et vineae inventio ab ipso facta est.

Anno 510°, Areopagus tribunal instituitur.

Anno 511°, Aharon accepit summum sacerdotium. Is fuit sacerdos primus.

Anno 514°, condita est Creta, et in ea regnavit Apterus[7], qui ipse eam condidit.

[1] Ἀχεγχέρσης. — [2] Ἄθωρις. — [3] Monades coniectura addidi. — [4] Textus corruptus. Intellege: Athenas, quae et Diadae, conditas esse (a Cecrope). Ἀθηνὰς τὰς καὶ Διάδας (*Sync.*). — [5] Χεγχέρης. — [6] Cf. *Ex.*, XV, 4. — [7] Ἀπτέρας.

Anno 526°, templum, quod Deli est, conditum est ab Erisychthone filio Cecropis.

Anno 528°, Epaphus, filius Ionis et Iovis, Memphim condidit, cum esset rex Aegypti secundae.

Anno 530°, Lacedaemon aedificata est ab Lacedaemone filio Semelae.

Anno 540°, Dardanus condidit Dardaniam. — Hoc autem tempore, regnavit super Aegyptum Aegyptus a quo regio illa appellata est.

* Anno 545°, decessit ex hoc mundo Aharon summus sacerdos, et depositus est in monte Hor; et sacerdotium eius suscepit Eleazarus filius eius. * p. 24.

Anno 546°, mortuus est etiam Moses; et depositus est in monte [Hor] [1], et locum eius suscepit Iosue filius Nun. Mortuus est autem natus annos cxx; e quibus rexit populum xl annos.

Hucusque quinque libri Mosis, qui narrant res gestas iiimdccxxx annorum, secundum supputationem LXX interpretum.

Hoc autem tempore, bellum movit Danaus per l filias suas, et l filios Aegypti, fratris sui, interfecit, excepto Lynceo [2] qui post eum regnavit. Et non est dubitandum de multitudine filiorum apud barbaros, ob multitudinem concubinarum quas sumunt.

Anno 547°, Iordanem trangressi sunt filii Israel, et coeperunt debellare incolas huius regionis.

Anno 553°, Iosue terram Palestinae filiis Israel sortibus distribuit.

Anno 572°, mortuus est Iosue filius Nun, natus annos cx; et depositus est in Thamnath-Sarah, quae est in monte Ephraim.

Anno 573°, oppressus est Israel a Gentibus, et servierunt eis annos viii. Tum surrexit Othoniel et eos liberavit.

Hucusque liber Iosue, filii Nun, qui narrat historiam xx [vii] annorum, res belli et distributionem terrae promissionis filiis Israel.

[1] Videtur esse lectio codicis. — [2] Ms. lvgvnvs. Gr. Λυγκεύς.

Anno 578°, mortuus est Eleazarus summus sacerdos, et sacer-
* p. 25. dotium eius suscepit * Phinees eius filius.

Anno 581°, surrexit Othoniel et populum liberavit. Rexit annos XL, cum illis octo quibus Gentes in eos dominatae sunt.

Anno 592°, conditae sunt urbes Melos, et Paphos, et Thasos, et Callista [1].

Anno 593°, Bithynia condita est a Phoenice.

Anno 611°, Cadmia et Side conditae sunt in Sicilia [2].

Anno 612°, mortuus est Othoniel; et Gentes in eos dominatae sunt annos XVIII, qui cum annis Ahodi [3] coniunguntur.

Anno 617°, Achaia urbs ab Achaeo condita est.

Anno 630°, surrexit Ahodus [3], filius Gerae, et populum liberavit, et iudicavit annos LXXX, cum illis XVIII quibus in eos dominatae sunt Gentes.

Anno 670°, Perseus cum magno exercitu contra Persas in bellum profectus est.

Anno 682°, Cyrene civitas in Libya condita est.

Anno 690°, Dionysius contra Indos processit in bellum; et urbem Nyssam [4] iuxta flumen Indum condidit.

Anno 692°, mortuus est Ahodus. Et in populum Hebraeorum Gentes annos XX dominatae sunt, qui etiam cum annis Debborae et Barac coniunguntur.

Anno 711°, condita est urbs Ilium ab Ilo.

Anno 720°, templum quod est Eleusinae aedificatum est. — Et eodem anno fuit proelium Debborae et Barac cum Sisara, duce exercitus Iabin [5] regis Ammonitarum, ad montem Thabor. Et confregit Dominus Sisaram coram Barac. Et iudicavit Barac annos XL, inclusis annis Iabin [5].

* p. 26. Anno 731°, Miletus urbs * condita est.

Anno 732°, mortua est Debbora, et *etiam* Barac; et dominati sunt in populum Madianitae annos VII, qui coniunguntur cum *annis* Gedeonis.

Anno 739°, ad pugnandum contra Israel venerunt Oreb et Zeb et Zebeaḥ et Ṣalmana [6]. Et congregati sunt omnes reges isti

1 'Ακλίσθη (*Sync.*). — 2 Sic ms., quod de una Cadmia intellegendum est; Side enim est in « Cilicia ». — 3 'Αώδ ; ms. AHOR. — 4 Νύσσαν. — 5 Ms. NBIN. — 6 Cf. *Ps.* LXXXII, 12.

et castrametati sunt cum omnibus suis exercitibus in valle Iezraelis[1]. Et surrexit Gedeon filius Ioasi, et omnes acie gladii trucidavit. Et iudicavit Israelem XL annos, cum illis septem Madianitarum.

Anno 744°, ubs Tyrus condita est; et eodem anno condita est urbs Cyzicus.

Anno 772°, mortuus est Gedeon, et regnavit Abimelech filius eius.

Anno 773°, interfecit Abimelech LXX fratres suos.

Anno 775°, cum Abimelech oppugnaret Thebeṣ[2], mulier fragmentum lapidis molaris in eum proiecit, et eum interfecit et mortuus est. Et surrexit post eum Thola filius Phuae, et iudicavit Israelem XXII annos.

Anno 797°, mortuus est Thola, et iudicavit Israelem Iairus annos [XX]II.

Anno 802°, Carchedon urbs condita est ab Azoro et Carchedone. — Hoc tempore Minos leges dabat.

Anno 818°, mortuus est Iairus, et iudicavit Iephthe annos VII. Et eodem anno bellum gessit Iephthe contra Ammonitas et contra Moabitas, et devicit eos ab Adoᶜir[3] usque ad ingressum Machir, viginti vicos, et usque ad Abel Karmin, plaga maxima; et confracti sunt filii Ammon coram filiis Israel.

Anno 825°, *mortuus est Iephthe, et post eum iudicavit *p. 27.
Hesebon annos VII. Is est Abiṣan[4]. — Huic erant triginta filii et triginta filiae; triginta autem filios foras misit et triginta nurus ab exteris induxit.

Anno 832°, mortuus est Abiṣan, et sepultus est Bethlehem. Ft post eum iudicavit Israelem Ailon, e tribu Zabulonis, annos VIII. — Huius diebus Ilium expugnata est ab Alexandro.

Anno 840°, mortuus est Ailon, et sepultus est in *urbe* Ailone; et post eum iudicavit Israel ᶜEkron[5] X annos. Hunc non inseruit Eusebius in suo computu, et quamvis illum recenseat liber Iudicum, ille eum praetermisit[6]. His habuit XL filios et XXX

[1] Cf. *Iud.*, VI, 33. — [2] Cf. *Iud.*, IX, 50. — [3] Cf. *Iud.*, XI, 33; hebr. *Aroër*. Nominum lectiones eaedem sunt ac in Peschito. — [4] Cf. *Iud.*, XII, 8. — [5] Sic ms. et Peschito; legendum ܥܒܕܘܢ ex hebr. (*Iud.*, XII, 13). — [6] Non est verum; sed pro ᶜAbdon posuit. ܠܒܕܘܢ, Λαϐδών.

filias [1]. Post hunc dominati sunt Philistini in filios Israel annos XL, qui computantur cum *annis* Iudicum.

Postea surrexit Samson, et iudicavit Israelem XL annos. — Hoc tempore innotuerunt Booz et Ruth.

Anno 8[4]5°, urbs Alba condita est ab Ascanio Aeneae filio.

Anno 860°, mortuus est Samson. Et post eum iudicavit Israelem Heli sacerdos, annos XL.

Anno 873°, templum Ephesinum incenderunt Amazones. — Hoc tempore filii Israel Beniaminitas trucidarunt.

Anno 909°, coepit Samuel vaticinari.

Anno 900°, mortuus est Heli sacerdos. — Et eo anno trucidarunt Philistaei filios Israel, et abduxerunt etiam arcam. — Post Heli sacerdotem, rexerunt Samuel et Saul XL annos. — Hoc autem tempore innotuit Homerus sapiens.

Anno 930°, trucidavit Saul Amalecitas.

*p. 28. Anno 933°, unctus est *David.

Anno 937°, mortuus est Samuel.

Anno 940°, fuit bellum Philistaeorum contra filios Israel, et confracti sunt filii Israel coram Philistaeis, et etiam occisus est Saul cum filiis suis in hoc praelio, quod fuit ad montes Gelboae.

Post eum regnavit in filios Israel primus rex, David, filius Isai, e tribu Iudae, annos XL.

Hoc tempore innotuerunt [2] Abiathar summus sacerdos; et vaticinabantur Gad, et Nathan, et Asaph.

Anno 962°, Magnesia urbs in Asia condita est.

Anno 965°, Cumae urbs in Italia condita est.

Anno 967°, Myrina urbs condita est.

Anno 968°, Ephesus urbs condita est ab Andronico [3].

Anno 971°, Carchedon urbs condita est a Didone Carchedonis [4] filia.

Anno 980°, mortuus est rex David, et regnavit post eum Salomon, filius eius, annos XL.

Anno 981°, Samos urbs condita est.

Hucusque libri Iosue filii Nun, et Iudicum, et Samuelis, qui narrant res gestas annorum CCCCLXX.

1 Sic ms.; Peschito, ut hebr., « XXX nepotes ». — 2 Sic ms. — 3 Ms. ANDRVQVNVS. — 4 Ms. QRKDVS.

Ab Adamo usque ad diluvium sunt anni MMCCXLII; — a diluvio ad Mosen anni MCCCCXLVII; — a Mose ad aedificationem templi anni CCCCLXXX, secundum computum Iudaeorum. Summa omnium horum annorum IVMCLXX.

Anno 984°, coepit Salomon aedificare templum Hierosolymis.

Anno 990°, completa est * aedificatio templi. *p. 29.

Hoc autem tempore innotuit Ṣadoc sacerdos. Vaticinabantur autem Ṣadoc et Achias Silonites.

Anno 1020°, mortuus est Salomon, et regnavit Rehoboamus post eum, annos XVII. Hinc divisi sunt filii Israel inter duos reges. Rehoboamus regnavit in duas tribus Iudae et Beniaminis, et ex inde etiam appellationem Iudaeorum obtinuerunt cuncti filii Israel. Ieroboamus autem regnavit super decem tribus. Is erexit vitulum, et peccavit et peccare fecit Israelitas.

Vaticinabatur eo tempore Achias et Samaeas in Iudaea.

Anno 1030°, Samos urbs condita est, et Smyrna habitata est.

Anno 1034°, vaticinabantur ille qui habitabat in Bethel [1], et ille qui de altari *locutus est* [2].

Anno 1037°, mortuus est Rehoboamus, et regnavit post eum Abia, filius eius, annos III.

Anno 1040°, mortuus est Abia, et regnavit post eum Asa, filius eius, annos XLI.

Anno 1027°, adscendit Sisac rex Aegypti contra Ierusalem, et cepit totum thesaurum templi Domini et totum thesaurum regni Davidis et Salomonis, et detulit in Aegyptum.

Anno 1047°, adscendit Zaraḥ [3] Aethiops, et conduxit secum etiam Libyes, et castrametati sunt adversus Iudaeam; et contra eos profectus est rex Asa, et persequutus est eos et trucidavit eos acie gladii in valle Gader [4] et ei qui e caede evaserunt, in mari suffocati suni.

Hoc autem tempore vaticinabatur Ioel filius ʿAddonis [5].

Anno 1063°, bellum ortum est inter Asam regem Iudaeae et Baasam regem Israelis; et etiam secum conduxit *Asa* Barhadadum [6] regem Syriae.

[1] Cf. I *Reg.*, XIII, 11. — [2] Cf. I *Reg.*, XIII, 1-3. — [3] *Chron. pasch.* Ζαράθ. [4] *Ibid.*, ἐν Γεράροις; cf. II *Chron.*, XIV, 14. — [5] Sic ms.; erronee dictum. — [6] Cf. I *Reg.* XV, 18. *Chr. pasch.* inepte: τὸν υἱὸν Ἄδερ.

Hoc autem tempore vaticinabantur Iehu et Hananias.

* p. 30. Anno 1081°, mortuus est * Asa, et post eum regnavit Iosaphat filius eius, annos xxv.

Hoc autem tempore vaticinabatur Elias, et Obadias et Iehu et Michaeas et Oziel. Pseudoprophetae: Sedecias et Eliezer, et reliqui ceterorum cccc.

Anno 1090°, fuit illa siccitas Eliae annos tres et menses sex, et facta est fames magna in universam terram.

Anno 1106°, mortuus est Iosaphat, et post eum regnavit Ioram filius eius annos viii.

Vaticinabantur eo tempore Azariel et Eliezer et Elias, et Eliseus.

Anno 1113°, Elias quasi in coelum raptus est.

Anno 1115°, mortuus est Ioram, et post eum regnavit Ochozias filius eius, per annum.

Anno 1116°, Iehu occidit Ochoziam, et post eum huius mater Athalia regina facta est Iudaeae, per annos vii.

Haec autem permisit ut mulieres fornicarentur manifeste, et fornicarentur viri cum uxoribus alienis, cum non esset qui redargueret eos, et omnem impudicitiam Iezabelis et impietatem domus Achabi induxit Hierosolymam. Et necare fecit omnes masculos de familia Davidis[1].

Anno 1122°, disputabant filii Israel quemnam facerent sibi regem. Et audivit Ioiada sacerdos, et convocavit eos in domum Domini, chiliarchos et centuriones. Et dixit eis Ioiada: Quem decet fieri regem et sedere super thronum Davidis nisi rex filius regis e posteris Davidis; et cum ostendisset eis Ioam,
* p. 31. gavisi sunt * gaudio magno, et adduxerunt eum in domum Domini, et eum sedere fecerunt in throno regni; et Athalia occisa est. Natus septem annos rex factus est et regnavit annos xl.

Iehu interfecit Ioramum et lxx filios Achabi et Iezabelis.

Anno 1130°, mortuus est Ioiada sacerdos, natus annos cxxx; et sacerdotium eius post eum suscepit Zacharias filius eius.

Vaticinabantur autem eo tempore Eliseus et ipse Zacharias sacerdos.

Anno 1144°, Hazael, rex Syriae, Israelem vastavit.

1 Periodus in cod. corrupta, ope *Speluncae Thesaurorum* restituta est.

Et rursum, anno 1150°, exercitum coegit Hazael et vexavit eos omnibus diebus Ioachazi regis Israelis.

Anno 1155°, occidit Ioas Zachariam Ioiadae filium.

Anno 1158°, mortuus est Eliseus propheta.

Anno 1159°, exercitus Syrorum Iudam vastavit et primores eius occidit.

Anno 1162°, occisus est Ioas a servis suis, et regnavit post eum Amaṣias, filius eius, annos xxix.

Anno 1163°, devicit Amaṣias Edomitas, et tulit deos eorum et hos veneratus est.

Anno 1165°, mortuus est Hazael rex Syriae.

Anno 1171°, Israelitae necarunt viros trecentos ex Iudaeis.

Anno 1180°, missus est Ionas Niniven, et paenitentiam egerunt Ninivitae.

Innotuit autem eo tempore Thonus Concolerus, qui vocatur graece Sardanapalus, rex Ninives.

Vaticinabantur autem illo tempore Hosee et ʿAmos, qui est ʿAmoṣ pater Isaiae, et Ionas, et Nahum.

Anno 1185°, fuit praelium Tarsi et Anchialiae[1] inter * Sar- *p. 32.
danapalum regem Ninives et Arbacem regem Medorum. Et devictus est Sardanapalus; eius exercitus deletus est et ipse occisus est.

Anno 1190°, hasta occisus est Amaṣias a Iudaeis, et post eum regnavit Ozias, filius eius, annos LII.

Anno 1205°, Ozias rex Iudae bello evertit muros Gath et Azoti et Iamniae. Pugnavit etiam cum Arabibus qui Petrae habitabant.

Vasticinabantur autem eo tempore Ionas, et Osee, et Amos et Isaias. — Innotuit quoque Hesiodus, uti scribit Porphyrius.

Anno 1211° Abrahami, ingressus est Ozias, ut adoleret thus in templo Dei; et cum prohiberetur ab Azaria sacerdote, nec cedere vellet, subito leprosus factus est. Et Isaias vaticinari prohibitus est.

[1] Ἀγχιάλη. Ms. NKLIA; corr. Tullberg. Res aliter se habet apud Eusebium: Sardanapalus eodem tempore Tarsum et Anchialem condidit et in proelio victus ab Arbace Medo semet incendio concremavit (*Maïus*, p. 315).

Anno 1224°, Phul, rex Assyriorum, adscendit contra Samariam. Et cum accepisset a Manahemo, Israelis rege, mille talenta argenti, recessit.

Anno 1240° Abrahami, incepit prima olympias.

Anno 1241°, adscendit Theglathphalasar rex Assyriae in terram Iudae multosque ex Hebraeis in Assyriam transtulit.

Anno 1243°, mortuus est Ozias, et post eum regnavit Iothamus, filius eius, annos XVI.

Anno 1246°, in Italia, Pandosia et Metapontios civitates conditae sunt.

Anno 1249°, Athenis prima navis bellica constructa est.

* p. 33. Vaticinabantur eo tempore Osee * et Isaias, et Ioel, et Oded, et Micha[1].

Anno 1259°, mortuus est Iothamus, et post eum regnavit Achaz, filius eius, annos XVI.

Anno 1260, in Sicilia Selinus et Zancle urbes conditae sunt.

Eodem anno fuit bellum inter Phaceam et Achazum, et Phaceas CXX milia Iudaeorum interfecit.

Anno 1262°, Raṣin rex Syriae et Phaceas rex Israelis cum Achazo contenderunt, et multos Iudaeos in captivitatem abduxerunt.

Anno 1263°, filii Iudae captivi ab Edomitis facti sunt.

Anno 1265°, misit Achazus ad Theglathphalasarem, regem Assyriae, ut sibi in auxilium veniret; et cum venisset Raṣinum cecidit et Syros in captivitatem abduxit; et, accepta ab Achazo pecunia multa, recessit.

Anno 1267°, Roma condita est a Romulo, *viro* cuius nomine etiam tota gens Latinorum Romani appellati sunt.

Anno 1269°, adscendit Salmanasar, rex Assyriae, in Samariam; et decem tribus Israelis in captivitatem abduxit, et in regionem Medorum et Chaldaeorum eos pepulit; et ad custodiendam terram Iudaeorum Assyrios in pagis (?)[2], misit. Cum autem a leonibus occiderentur, misit illis rex Assyriae Aorum[3] sacerdotem qui doceret eos leges. Hi sunt Samaritani; nam id nomen « Samaritani » explicatur observantes et custodes.

[1] *Chron., pasch.*, rectius: Μιχαίας. — [2] Vox dubia; Peschito: ܩܘܪ̈ܝܐ (IV *Reg.*, XVII, 24). Legere *Bucharenses* parum verisimile. — [3] Cf. *ibid.*, 27.

Anno 1275°, mortuus est Achazus et post eum regnavit Ezechias filius eius annos XXIX.

Et eo anno Naxus[1] urbs condita est in Sicilia.

Anno 1277°, Ezechias celebravit pascha.

Anno 1282°, * Sennacherib rex Assyriae adscendit in Ierusalem * p. 34. et in omnes urbes Iudae et eas oppressit. Angelus autem Dei in castris eius interfecit hominum CLXXXV milia; cum autem audivisset Tarhacam[2] regem Aethiopum procedere ut cum ipso dimicaret, reversus est Niniven. Et ibi eum interfecerunt eius filii.

Et eodem anno Syracusae et Catana urbes in Sicilia conditae sunt. Et eodem anno Lacedemonii Messanam expugnarunt.

Anno 1285°, Leontini et Megara et Marathonia[3] urbes in Sicilia conditae sunt.

Anno 1289°, aegrotavit Ezechias; et cum petivisset signum, sol quindecim gradus retrocessit.

Anno 1293°, Merodach Baladan[4], rex Babylonis, dona Ezechiae misit.

Anno 1300°, in Sicilia urbs Cherronesus[5] condita est.

Anno 1304°, mortuus est Ezechias, et post eum regnavit Manasses filius eius, annos LV. Et Nicomedia urbs condita est; et Sibylla floruit.

Anno 1307°, Croton et Parion et Sybaris et Ecbatana urbes conditae sunt.

Anno Abrahami 1310°, Numma Pompilius Capitolium a fundamentis aedificavit, et Pathenii Tarentum condiderunt; et Corinthii Corcyram condiderunt.

Anno 1306°, Manassen regem Iudae in captivitatem duces exercitus Assyriorum redegerunt et eum Babylonem conduxerunt.

Et eodem anno Gela in Sicilia condita est, et Phaselis in Pamphylia.

Anno 1330°, Chalcedon urbs condita est.

Anno 1342°, Manasses, cum esset in captivitate, se convertit ad Deum patrum suorum; et adscendit, et restitutus est in suum * locum et in regnum suum. * p. 35.

[1] Νάξος; ms. ANAKSVS. — [2] Θαρακά. — [3] Sic etiam Barhebraeus. — [4] *Chron. Pasch.*; Μαρωδὰχ υἱὸς Βαλαδάν. — [5] Χερρόνησος (*Sync.*).

Et eodem anno Cyzicus urbs condita est, et in Italia Locri.

Anno 1358°, Byzantia[1] urbs condita est.

Anno 1359°, mortuus est Manasses, et post eum regnavit Amon (lege Amos), filius eius, XII annos secundum interpretationem LXX, secundum autem Hebraeos annos II. — Manasses rex Iudae Isaiae minatus est, et misit viros iniquos qui eum inter ligna *positum* sera secarent a vertice ad pedes. Erat autem natus annos CXX, cum eum secarunt, et per annos XC fuit propheta Dei.

Anno 1360°, in Ponto Istorus[2] urbs condita est.

Anno 1363°, Achantus et Stagira[3], et Lampsacus et Abdera[4] urbes conditae sunt.

Anno 1367°, in Cicilia, Selinus[5] urbs condita est.

Anno 1370°, in Ponto, Borysthenes[6] urbs condita est.

Anno 1371°, mortuus est Amon, et post eum regnavit Iosias, eius filius, annos XXXI. — Helcias summus sacerdos florebat. Vaticinabatur Sophonias.

Anno 1384°, coepit Ieremias vaticinari. — Eo anno Battus Cyrenen[7] condidit.

Anno 1386°, urbs Sinope[8] condita est.

Anno 1388°, urbs Lipara[9] condita est.

Anno 1389°, Iosias pascha celebravit. — Et eodem anno Dyrrachium[10] urbs condita est.

Vaticinabantur eo tempore Ieremias et Sophonias et Hulda.

Anno 1401°, adscendit Pharao Nechao[11] et proelium commissit ad Euphraten cum Iosia, qui etiam ab illo interfectus est; et post eum regnavit Ioachazus, filius eius, tres menses; et hunc abduxit Pharao in Aegyptum. Et post eum regnavit Ioacimus, frater eius, annos XII.

Anno 1405°, adscendit Nabuchadnasar et expugnavit Ierusalem; et abduxit captivos * multos, et etiam vasa ministerii *sacri* secum abduxit, et postquam Ioiacimo imposuit tributum recessit. Et in hac captivitate Babylonem descenderunt Ḥananias et Azarias et Misael, tres filii Ioiachini filii Ioiacimi, filii Iosiae.

* p. 36.

[1] Cf. Βυζάντεια (ἡ) = Βυζάντιον. — [2] Ἴστορος (*Sync.*). — [3] Ἄκανθως καὶ Σταγείρα. — [4] Λάμψακος καὶ Ἄβδηρα. — [5] Σελινοῦς. — [6] Βυρυσθένης. — [7] Κυρήνη. — [8] Σινώπη. — [9] Λιπάρα. — [10] Δυρράχιον. — [11] Νεχαώ.

Anno 1412°, rursum adscendit Nabuchadnasar et Iudae potitus est; et multos Iudaeos in captivitatem abduxit, et vasorum sacrorum copiam secum detulit, et post impositum Ioiacimo tributum recessit.

Anno 1414°, mortuus est Ioiacimus, et post eum regnavit Iochonias filius eius; et tertio huius regni mense, rursum adscendit Nabuchadnasar adversus eum, eum captivum fecit populumque plurimum, et secum Babylonem deduxit.

Vaticinabantur eo tempore Urias, quem occidit Ioacimus, et Ieremias in Iuda; Babylone autem Daniel, et Ḥananias, et Azarias et Misael.

Sedecias regnavit pro Iochonia filio fratris sui, annos XI.

Anno 1416° Abrahami, urbs Camarina condita est. Item, urbs Perinthus condita est.

Vaticinabantur autem Babylone Daniel et socii eius; et in Iuda Ieremias et Baruch.

Anno 1419°, Ezechiel vaticinari coepit. — Et Massilia urbs condita est. Pseudopropheta: Ḥananias. — Solon legislator innotuit.

Anno 1426°, adscendit Nabuchadnasar, rex Babylonis, et subegit totam regionem occidentis ab Euphrate usque ad mare, et invasit insulas maris, et depopulatus est et evertit Tyrum eamque incendio delevit, et Hiramum regem Tyri occidit, et Aegypum ingressus est post filios Israel, qui refugium quaesiverant apud Pharaonem regem Aegypti; et vastavit Aegyptum et Israelitas captivos abduxit. Et cum a mari recederet expugnavit Ierusalem. Et tradidit Deus Sedeciam in manus eius; et occidit eius filios in conspectu illius, dum eos intuetur, in Diblath [1] *urbe regionis* Hamath * ipsum autem *regem* excae- * p. 37.
cavit et Babylonem misit. Et Nabuzardan princeps satellitum [2] evertit murum Ierusalem et templum Domini incendio delevit; aes autem et ferrum et vasa secum detulit Babylonem. Et Simeon summus sacerdos, qui libertate utebatur erga principem satellitum, huic persuasit ut sibi daret omnes libros Scripturae,

[1] Sic versio syr., ubi textus hebraeus habet *Riblah*. — [2] Sic cod.; forsan lapsus pro ܡ̈ܓܘܫܐ; « magorum »; cf. Ναβουζάρδαν δὲ ἀρχιμάγειρος (*Chron. pasch.*).

et non eos igne combureret. Et eos collegit Simeon summus sacerdos, et proiecit eos in puteum. Et implevit thuribulum magnum aeneum igne et deposuit in puteo. Et Ierusalem devastata est. Hic est Simeon summus sacerdos qui alligatus est a Spiritu sancto, ne videret mortem priusquam vidisset Christum, prout nonnulli affirmant. Remota autem est ab hoc tempore nativitas Christi annis DXCI. Et hac de re dubitandum non est; nam Hiramus rex Syri, quem dicunt interfectum fuisse eo anno a Nabuchadnasare rege Babylonis, fuit ipse amicus Davidis et Salomonis filii eius. Sunt autem a tempore Davidis usque ad hunc annum CCCCLXXXVI anni. Et si is tot annos vixit, cur dubium moveretur ob eum qui a Spiritu sancto alligatus est?

Anno 1440° Abrahami, vaticinabantur Babylone Daniel et Ezechiel, et in Iuda Ieremias et Baruch. Pseudoprophetae: Achiab[1], et Sedecias et Šemei.

Anno 1449°, mortuus est Nabuchadnasar, et regnavit Evilmerodach.

Vaticinabatur in Aegypto Ieremias. — Et Aesopus, scriptor fabularum, innotuit.

Anno 1452°, dimisit e carcere Evilmerodach Iechoniam et in honore eum constituit. Et sumpsit sibi uxorem Gaiuth, filiam Eliacimi, et ex ea Salathielem genuit. Idcirco dicit Scriptura[2]: Iosias genuit Iechoniam et fratres eius in trans-
* p. 38. migratione Babylonis. — Et Salathiel sumpsit sibi * uxorem Hatibath, filiam Elcanae, et ex ea genuit Zorobabelem, hunc qui cum populo e Babylone adscendit.

Anno 1454°, mortuus est Evilmerodach, et post eum regnavit Balthasar.

Et anno 1456°, ei scripturam interpretatus est Daniel, et ipsa nocte occisus est, et accepit regnum eius Cyrus Persa, per XXX annos.

Cyrus Persa captivos Babylone ad quinquaginta milia *hominum* adscendere fecit; et altare erexerunt et fundamenta templi posuerunt; sed quia eos prohibuerunt gentes circumvicinae mansit opus imperfectum usque ad Darium regem.

1 Hebr.: Achab; cf. Ier., xxix, 21-23. — 2 Matth., i, 11.

Complectitur omne tempus captivitatis populi Iudaeorum annos LXX; nempe, secundum quorumdam supputationem, ab anno tertio Ioiacimi usque ad annum undevicesimum Cyri; secundum aliorum supputationem, qui initium prophetiae Ieremiae ponunt anno 13° Iosiae, ab anno quinto prophetiae Ieremiae usque ad annum primum Cyri fuerunt anni LXX. Anni autem LXX eversi templi diebus Darii complentur (computati) ab anno 19° Nabuchadnasaris.

Vaticinabantur eo tempore Babylone Daniel et Ezechiel, in Iudaea autem Habacuc et Aggaeus, et Zacharias.

Iesu filius Iosedeci, summus sacerdos, et Zorobabel filius Salathielis, dux populi, florebant.

Eo tempore Susanna illustris fiebat. Pherecydes Pythagorae magister innotuit.

Anno 1482°, Puteolos urbem Samii condiderunt.

Anno 1485°, Tomyris[1] mulier regina Cyrum interfecit, et regnavit Cambyses annos VIII. Cambyses apud Hebraeos dicitur Nabuchadnazares secundus appellatus esse, cuius diebus aiunt accidisse historiam Iudith.

Anno 1493°, adscendit Holophernes, dux exercitus Nabuchadnazaris, in universam Syriam *et *homines* captivos fecit *p. 39.
et interfecit, et eam vastavit. Et occisus est a Iudith *muliere* hebraea. Qui cupit legere et discere facinora quae commisit, historiam Iudith legat.

Et eodem anno mortuus est Cambyses, et obtinuerunt regnum fratres Magi, menses VII, et post eos obtinuit Darius, annos XXVI.

Vaticinabantur apud Hebraeos Aggaeus et Zacharias, et Malachias.

Anno 1495°, adscendit Babylone populus qui a Cyri tempore remansit.

Anno 1500°, absoluta est aedificatio templi, vaticinantibus Aggaeo et Zacharia.

Anno 1521° Pythagorus[2] philosophus mortuus est, qui vixerat annos XCV.

[1] Τόμυρις (*Chron. pasch.*). — [2] Ms. hic: *Pyragaros.* (*Sync.:* Πυθαγόρας).

Anno 1529°, mortuus est Darius, et post eum regnavit Xerxes filius eius, annos xx.

Anno 1537°, fuit proelium ad Thermopylas, et certamen navale ad Salaminam. Innotescunt autem eo tempore philosophi discipuli Diagorae, et discipuli Pindari.

Anno 1549°, mortuus est Xerxes, et regnavit Artabanus menses vii, et post eum Artaxerxes Longimanus annos xli.

Huius diebus dicunt fuisse Esther et Mardochaeum. Noscuntur apud Hebraeos Esdras scriba, et Eliasibus summus sacerdos. Et disipuli Pithagorae multi fiebant.

Anno 1565°, Romae Clariorum[1] agon centenarius primum actus est, de quo Mar Isaacus plures tractatus composuit.

Anno 1569°, adscendit Nehemias pincerna, ut urbem et murum Ierusalem restauraret. Summus sacerdos: Ioiada.

Vaticinatur autem eo tempore Audias[2] mulier.

* p. 40. * Anno 1550°, lapis in fluminibus Aegi[3] ruit.

Anno 1583°, absolutum est opus aedificationis civitatis et muri curis Nehemiae pincernae.

Clari habentur Socrates et Democritus.

Anno 1587°, fuit Athenis lues magna et terribilis, adeo ut se invicem sepilere non valerent.

Anno 1590°, mortuus est Artaxerxes et regnavit Xerxes alter duos menses, et post hunc Sogdianus septem menses, et post hunc Darius annos xix.

Anno 1591°, dum fiunt terrae motus vehementes et terribiles, Atalante, quae est apud Locros, commota est et insula facta est. Et Plato natus est.

Anno 1600°, oppressio magna affecit Athenienses.

Anno 1609°, mortuus est Darius et regnavit Artaxerxes filius eius, annos xl. Huius diebus mihi videtur reponenda historia Esther.

Anno 1622°, fuit bellum Carthaginiensium et Africani. — Diogenes Cynicus noscitur.

Anno 1632°, fuit terrae motus magnus, et Elice et Bura urbes Peloponnesi terra absorptae sunt.

1 Sic pro *secularium*; etiam apud Sync.: Κλαρίων ἀγόν. — 2 Ms. AVDIS; conicit Tullberg esse lapsum pro *Noadia* (Nehem., vi, 14). — 3 ἐν Ποταμοῖς Αἰγός (*Sync.*).

Anno 1642°, Plato et Xenophon et Isocrates rhetor clari habentur. Et Alexander Pharius hoc tempore vixit.

Anno 1662° Abrahami, natus est Alexander Philippi Macedonis filius.

Anno 1650°, mortuus est Artaxerxes, et regnavit Ochus annos XXVII.

Anno 1673°, mortuus est * Plato. * p. 41.

Anno 1676°, mortuus est Ochus et regnavit Arses[1] annos IV.

Anno 1665° subacta est Aegyptus ab Ocho rege Persarum.

Anno 1669°, Ochus Sidonem diruit. — Iaddus summus sacerdos Iudaeorum clarus habetur.

Anno 1680°, Manasses, Iaddi summi sacerdotis frater, templum aedificavit in monte Garizim.

Et eodem anno mortuus est Arses[2] et in Persas regnavit Darius annos VI.

Et eodem anno etiam mortuus est Philippus rex Macedonum, et regnavit post eum in Macedoniam Alexander filius eius, annos XII et menses VI.

Anno 1681°, profectus est Alexander ad peragrandam terram ut subiceret populos et regna.

Ex historia de Alexandro. — Cum vellet proficisci et perambulare terram, surrexit et votum vovit dicens: Si venerit Messias filius Dei diebus meis adorabo eum, ego et omnes exercitus mei, et serviemus ei; et si non venerit diebus meis, haec corona capitis mei et hic thronus regni mei erunt ei in eius honorem quando veniet; et hae octoginta librae auri erunt ei pro aromatibus, et luminibus et muneribus quando veniet. Et surrexit secum ducens in exercitu CCCXXIV milia *hominum* et profectus est in Aegyptum, et[3] ...... et hoc mare mortiferum, et non potuerunt ultro progredi, quia viderunt eos qui accederant * prope mare mortiferum mortuos esse. Et perrexit[4] * p. 42.

[1] Ms.: Mortuus est Arses et regnavit Ochus. — [2] *Sync.*: Ναρσῆς Ὤχου ἀδελφός. — [3] Hinc scriptura evanuit fere tota per quattuor lineas; cohaerentem sermonem efficere non valemus ex verbis quae legi possunt et sunt ista: « et [VI *voces def.*] artifices. Et desiit et transiit duodecim [VI *voces def.*] dies, et invenit planitiem quae circumdat [*vox def.*] haec; ; et [*una aut duae voc. def.*] duodecim milliaria, et hoc mare », etc. — [4] Vel « perrexerunt ».

proficisci in hac planitie, ut scriptum est in narratione, usque ad occasum solis; et vidit[1] solem ingredientem in coelos, et quasi spherae ignis decidebant ab eo hoc momento, et omnes incolae huius loci, et bestiae et aves aufugiebant in speluncas.

Et surrexit rursum Alexander cum toto exercitu suo et conversus est ut rediret in Orientem; et transgressus est loca multa usque ad locum quod situm est inter regna Romanorum et Persarum, et illud Beth-Gog[2]. Et misit Alexander legatos qui dicerent: Reges Graecorum superavi, et non captivos feci et non destruxi. Omnes in pace sedeant. Tantum senes antiqui qui sint in hoc loco veniant apud me, quia cupio eos interrogare. Et cum venissent dixit eis: Cuius est locus iste? — Dicunt ei: Darii, regis Persarum. — Dicit eis: Hunc montem altum et arduum quomodo vocatis eum? — Dicunt ei: Hic terminus erat quod posuit Deus inter nos et populos qui sunt ex altero latere. Et ita se extendit usque Indiam interiorem; et populi qui illic sunt magi sunt huius regionis, et quando volunt procedere in bellum statuunt mulierem praegnantem coram igne usque dum egrederetur foetus eius in quo faciunt incantationes, et intingunt arma sua, et tunc unusquisque eorum videtur quasi ducenti equites, et voces eorum quasi canum aureorum. — Dicit eis Alexander: Exieruntne diebus vestris? — Dicunt ei: In hoc monte est fissura decem circiter cubitorum, et per eam aliquando exeunt. Et has arces Persarum quas vides vastaverunt. — Et dicit eis: Quod est nomen
* p. 43. regum[3] eorum? — Dicunt ei: * Gog, et Magog, et Gig, et Thamerath et Thamarthan; et ultra eos Beth-Amazerath[4], et ultra eos Beth-Calbabarnoš[5], et ultra eos Beth-Meḥanai, et ultra eos non est amplius homo, sed desertum aridum, et montes altissimi, et dracones et serpentes, et ultra eos paradisus dei, procul in loco elato, quasi inter terram et coelum altum positus videtur; et nocte dieque lumen ex inde in longinquum conspicitur. — Dicit eis: Sed flumina Pherath (Euphrates), Declath (Tigris), Phison et Giḥon, quomodo dicit Scriptura exinde oriri? — Dicunt ei: Eiecit Dominus flumina e paradiso,

[1] Vel « viderunt ». — [2] I. e. Scytharum. — [3] Ms.: regis. — [4] Forsan intendit Pygmaeos (?). — [5] Cynocephali.

ne forte homines per ea progredientes paradisum ingrediantur. Iussit Deus haec flumina descendere et se colligere intra terram in multas mansiones ut postea eant, appareant et foras videantur in locis uno ab altero remotis. — Et postquam multa ab eis audivisset Alexander, sinit eos abire. Et iubebat omnes artifices, quos ex Aegypto adduxit, facere portam magnam ferream ad fissuram quae est in hoc monte. Et eam illeverunt ferro, et eam repagulis firmaverunt.

Senes autem qui iverant apud eum profecti sunt ad Darium et *rem* ei narraverunt. Is misit et congregavit reges octoginta duos cum exercitibus eorum, qui venerunt adversus eum *Alexandrum*. Et cum dormiret usque ad meridiem et quiesceret ipse et exercitus eius, accessit ad eum Filius Dei et excitavit eum eique dixit: Quid dormis? — Ipse territus est valde et dixit ei: Quid vis, domine? — Dicit ei: Ego sum Dominus cui votum vovisti, et postea profectus es in nomine meo. Nunc reges et eorum exercitus veniunt in te. Sed ubi venerunt, invoca me, et ego veniam in auxilium tuum. — Ipse autem surrexit et evigilavit * optimates suos eisque dixit: Ecce modo * p. 44. apparuit mihi Dominus et dixit mihi: Ecce reges et exercitus eorum veniunt in te; sed invoca me et ego veniam in auxilium tuum, quia ego sum Dominus cui votum vovisti, et profectus es in nomine meo. Sed adscendamus cacumen huius montis et videamus. — Et adscenderunt nonnulli eorum; et viderunt totam hanc regionem exercitibus coopertam. Et festinanter descenderunt. Et dixerunt: Quid faciemus? Tota regio cooperta est exercitibus qui in nos veniunt? — Surrexit autem Alexander et iussit omnes exercitus suos Domino qui sibi apparuit thus offerre et invocare eum. Dixit enim Alexander: Veniet Dominus et inveniet tota castra suavi odore repleta. Et deposuit Alexander coronam et vestem regiam suam in terram, et dixit: Deus, tuum est regnum, et tua est victoria. Veni in auxilium nostrum. — Et dum illi surgunt, exercitus eos circumdederunt ex omni parte. Clamavit autem Alexander cum copiis suis: Domini est proelium et victoria. Et rursum clamaverunt et dixerunt: Domine, veni in auxilium nostrum. Et Alexander dixit: Domine, qui apparuisti mihi et mihi dixisti: Invoca me et veniam in auxilium tuum, veni in auxilium nos-

trum hac hora. Tunc vidit eum venientem super currum Cherubim et turbam angelorum a dextera et a sinistra eius. Et fuit proelium magnum. Et accessit Dominus ad Alexandrum eique dixit: Ne timeas; ecce ego tecum sum. Et ibat vox Domini tonans cum virtute inter montes. Et occiderunt ex eis asseclae Alexandri reges LXII et eorum exercitus. Et hunc regem Persarum qui eos congregaverat vivum apprehenderunt. Et voluit Alexander occidere eum. Et *ille* dixit ei: Quid lucri tibi erit, quod occideris me. Aurum et argentum et quidquid est in *p. 45. regno meo sume tibi. Et ego tibi subiciam Persidem * per annos XV. Et surrexit *Alexander* et descendit ut expugnaret regionem Persidis. Et descendit in Indiam. — Et postea Alexander et Darius et Sapor inter se statuerunt ut unusquisque eorum milia VI custodum constitueret ad portam, quam fecit Alexander coram gentibus de domo Gog, et post annos quidecim fiat Assyria sui iuris. Et reversus est in regionem suam cum magna victoria. Et ivit Ierusalem orare. Et implevit sua vota, laudans Dominum cuius nomine exierat, et qui dedit ei tantam victoriam. Et inde profectus ivit habitare Alexandriam, caput sui regni.

Anno 1681°, subegit Alexander Illyrios et Thraces, et Thebas diruit et populum huius urbis trucidavit. Et adversus Persas strenue dimicavit, et Sardibus potitus est, et strategos regis ad Granicum flumen devicit.

Anno 1683°, subegit Alexander Tyrum, et urbes Iudaeorum evertit. Et cum a Iudaeis bene exceptus esset et Deo victimas obtulisset, Andromachum sacerdotem honoravit eumque in loca *praefectum* constituit. Et cum hi qui Samariae habitabant eum interfecissent, ab Aegypto reversus Alexander urbem cepit et in ea Macedones habitare fecit.

Anno 1686°, praelium magnum commiserunt Darius et Alexander [Issi] urbis [Ciliciae,] [1]; et devictus est Darius rex Persidis.

Et eodem anno condidit Alexander Alexandriam in terra Aegypti.

Eo tempore noscuntur Anaximenes, et Epicurus, et Aristoteles.

1 Sic legendum ex Michaele Syro.

Anno 1689°, Alexander Hyrcanos et Mardos[1] cepit; et cum adscendisset ad Ammoneum, *urbem* Paraetonium condidit.

* Anno 1690°, Alexander Aornim rupem[2] cepit, et Indum * p. 46. flumen trangressus est.

Anno 1691°, commiserunt praelium Alexander et Phul rex Indorum: et occisus est Phul, et tota India subacta est.

Anno 1692° Abrahami, Babylone mortuus est Alexander, natus annos XXXII. Et post eum divisum est imperium inter plures.

TEMPUS PTOLEMAEORUM. — Etiam hinc aera Alexandri computatur, ab anno quo regnavit Philippus frater eius in Macedones.

In Macedones regnavit Philippus annos VII. In Aegyptum, Ptolemaeus annos XL. In Lydios et in Hellespontum regnavit Lysimachus. In Asiam et in Syriam regnavit Antigonus.

Anno 1696°, Ptolemaeus, rex Aegypti, astucia et dolo transiit et cepit Ierusalem urbesque Iudaeorum, et ex iis multos captivos fecit, quos in Aegypto collocavit.

Agnoscitur Onias summus sacerdos.

Anno 1700°, condita est Antiochia, ad ripam Orontis fluvii, ab Antigono rege Syriae.

Anno 1701°, in Syriam et in Babylonem, et in regiones superiores primus regnavit Seleucus Nicator, annos XXXII.

Annus 1705us: liber Macchabaeorum hebraicus regni Graecorum ab hoc anno supputat annos, ex illis quae in Scriptura divina apud eos positae sunt[3]. Et Edesseni numerant tempus ab anno 1706°.

Anno 1708°, Lysimachia urbs in Thracia condita est.

Et eo anno subacta est Cyprus a Ptolemaeo.

Theodorus atheus * noscebatur. * p. 47.

Anno 1712°, Seleucus has aedificavit urbes: Antiochiam, et Laodiceam, et Seleuciam, et Apameam, et Edessam, et Halebum; et Amidam mox aedificavit[4], et Pellam.

Anno 1716°, Babylonem expugnavit Seleucus.

1 Ms.: AMRDV; Μάρδους (*Sync.*). — 2 Ms. ARNS, Ἀορνὴν πέτραν (*Sync.*). — 3 Aliter apud Sync.: « qui inter libros divinitus inspiratos non est ». — 4 Hanc omittit Syncellus.

Anno 1720°, Demetrius rex Asiae evertit urbem Samaritanorum et eius incolas captivos fecit.

Agnoscitur Onias summus pontifex Iudaeorum.

Anno 1730°, Seleucus rex Syriae, in Sicilia Demetrium regem Asiae, qui ibi venerat propter vaticinium, cepit et eum occidit, et eius regnum tenuit.

Anno 1732°, mortuus est Ptolemaeus, et regnavit pro eo in Aegyptum Ptolemaeus Philadelphus, annos XXXVIII.

Anno 1736°, mortuus est Seleucus, et pro eo regnavit in Syriam Antiochus Soter annos XIX.

Anno 1737°, interpretati sunt in insula Pharo libri *sacri*, spatio septuaginta dierum. Ptolemaeus Philadelphus, qui erat vir praeclara diligens — philadelphus enim praeclara diligens vertitur — cum de libris Iudaeorum notitiam habuisset, misit ad primores eorum et ab eis petivit ut sibi interpretarentur illos e lingua iudaica in graecam. Et idcirco Iudaeos captivos in Aegypto libertos dimisit et cum vasis regiis hierosolimitanis ad Elazarum summum pontificem et Sosthenem misit; et libros Iudaeorum e lingua hebraica in *linguam* Graecorum transferri curavit, et in bibliotheca ipsi ibi, Alexandriae, constituta (deposuit eos) [1].

* p. 48. Anno 1745°, * nummi argentei Romae cusi sunt. Hinc propago mala mundum ingressa est; hinc fons evomens aquas amaras, qui irrigavit orbem pessima faece avaritiae.

Anno 1746°, mortui sunt Polemon et Epicurus philosophi; et innotuerunt Archelaus [2], et Crates, et Zeno, et Erasistratus medicus.

Anno 1755°, Nicomedes, rex Bithynorum, urbem aedificavit et de suo nomine Nicomediam eam appellavit.

Et eo anno mortuus est rex Syriae, et regnavit Antiochus annos XV.

Post Eleazarum summum pontificem, Manasses patruus eius summum sacerdotium accepit.

Anno 1769°, Parthi rebellaverunt adversus Macedones, et in eos regnavit rex primus Arsaces; et propter hunc appellantur Arsacidae.

1 Cf. *Chron. pasch.*, p. 172. — 2 *Sync.*: Ἀρκέλαος.

Anno 1770°, mortuus est Philadelphus, et in Aegyptum regnavit Ptolemaeus Euergetes.

Et eodem *anno* mortuus est etiam rex Syriae, et regnavit Seleucus Callinicus, annis xx.

Eo autem tempore noti sunt Iesu filius Asirae[1] et Simeon filius Oniae, sacerdotes.

Anno 1790°, Romani occiderunt e Galatis[2] usque xl milia hominum.

Anno 1793°, fuerunt terrae motus vehementes in Caria, et Rhodi, ita ut rueret Colossus.

Eo tempore Šamone et filii eius claruerunt testimonio religionis[3].

Anno 1796°, regnavit Ptolemaeus Philopator in Aegyptum, annos xvii.

Anno 1808°, fuit bellum inter Antiochum *regem Syriae * p. 49.
et Ptolemaeum. Et devictus est Ptolemaeus.

Anno 1814°, regnavit in Aegyptum Ptolemaeus Epiphanes, annos xxiv.

Anno 1824°, praelium commisit Antiochus cum Romanis, et devictus est Antiochus; et etiam foedus cum eis iniit, ut illis mille talenta quotannis penderet, post cladem ad Thermopylas.

Anno 1826°, Ptolemaeus et Antiochus invicem pacem composuerunt, et pactum amicitiae cum eo fecit *Ptolemaeus*, et dedit ei Cleopatram filiam suam in uxorem, et assignavit ei Antiochus, dotis titulo, Phoeniciam et Syriam cum Samaria et Iudaea.

Anno 1829°, completum est millenarium quintum, secundum supputationem LXX interpretum, in olympiade cxlviii, eius anno primo, et anno millesimo octingentesimo vicesimo nono Abrahami.

Anno 1837°, mortuus est rex Aegypti, et post eum regnavit Ptolemaeus Philometor annos xxxv.

Aristobulus iudaeus, philosophus, noscitur.

Anno 1850°, Antiochus leges Iudaeorum abolevit, et primum populum ad apostasiam coegit, nam tormentis acerbis eos qui

1 LXX: Ἰησοῦς υἱὸς Σειράχ (*Eccli.*, L, 29). — 2 *Sync.*: Γάλλων. — 3 Cf. II Macch., vii.

non obediebant afficiebat. Et postea Ierusalem adscendit, et templum Dei et vasa quae in eo erant diripuit, et in eo Iovis simulacrum constituit. Et in Samaria, in monte Garizim, templum Iovis quoque aedificavit, quod ab eo petierunt Samaritani.

Eo tempore surrexit e sacerdotibus Mathathias, filius Šamone, e Modin pago *oriundus,* adversus duces exercitus An-
* p. 50. tiochi, cum filiis suis, * pro lege patrum suorum, olympiade CLIII. Et ea quae in libro Macchabaeorum scripta sunt hoc tempore acciderunt.

Anno 1854°, Iudas Macchabaeus, strategus Iudaeorum, filius Mathathiae, duces exercitus Antiochi e loco suo expulit, et templum mundavit, et cultum patrum suorum restauravit, qui per tres annos abolitus fuerat.

Anno 1859°, mortuus est Iudas Macchabaeus, et locum eius tenuit Ionathan, frater eius, annos XIX.

Anno 1860°, floruit Aristarchus.

Anno 1871°, Oppius Celtas subegit, et Carthago a Scipione vastata est. Erant illi, ex quo condita est, anni DCLXVIII, vel, ut alii dicunt, DCCXLVIII.

Anno 1872°, regnavit in Aegyptum Ptolemaeus Euergetes, annos XXIX.

Anno 1876°, Triphon Ionathanum summum sacerdotem occidit, et eius loco fuit Simeon, annos VIII. Et rursum Triphon Antiochum, filium Alexandri, regem Syriae occidit, et ipse postremo interiit.

Anno 1880° Abrahami, regnavit Edessae primus rex Orrhoës filius Heviae, annos V.

De nomine huius Orrhoa appellata est *urbs Edessa.* Inceperunt *reges Edessae* olympiade CLXI et desierunt olympiade CCXLIX.

Anno 1882°, Antiochus, rex Syriae, profectus est contra Ierusalem, et bellum contra eam instruxit post foedus suum cum Simeone: sed devictus est et eius exercitus deletus est.

Anno 1884°, occisus est Simeon summus sacerdos, et munus
* p. 51. accepit Iohannes * filius eius post eum. Et Ptolemaeus ex imperio Aegypti deiectus est, et regnavit mater eius.

Et eo anno, Edessae regnavit ʿAbdu filius Muzʿur, annos VII.

Et eodem anno Arsaces Parthus Antiochum occidit.

Eo tempore seditionem et bellum moverunt servi, in Sicilia; et cum apprehensi et inclusi essent, in obsidione fame ita oppressi sunt ut mutuo se devorarent.

Anno 1894°, mortuus est rex Edessae, et regnavit Phardašt filius Gebar^{c}u, annos v.

Anno 1899°, Hyrcanus summus sacerdos, iudaeus, Samariam urbem Samaritanorum diruit, et solo aequavit eam: quae apud nos Sebastia appellatur; et postea Herodes instauravit eam et Sebasten eam nominavit.

Anno 1900°, Edessae regnavit (Bakru filius Phardašt), annos xiii; et post eum Bakru filius Bakru, annos xx.

Anno 1901°, regnavit in Aegyptum Ptolemaeus Physcon, annos xvii et menses sex.

Anno 1910°, fuit terrae motus vehemens in Rhodo, et clades magnas in ea fecit.

Anno 1912°, mortuus est Iohannes summus sacerdos, et *munus* accepit Aristobulus, filius eius, per annum; et post hunc surrexit Alexander, annos xxiv.

Anno 1918°, fuit iterum seditio servorum in Sicilia.

Anno 1919°, regnavit in Aegyptum Ptolemaeus, qui et Alexander, annos x.

Anno 1924°, Seleucum filium Antiochi, * regem Syriae, vivum cremaverunt. * p. 52.

Anno 1928°, regnavit in Aegyptum Physcon, annos viii; et Edessae Ma^{c}nu, menses iv, et post eum Abgarus Pica [1], annos xxv et menses ix.

Tunc autem regnum Syriae et Asiae dissolutum est. Inceperat autem olympiade cxvii^{a} et desivit olympiade clxxi^{a}; summa eius annorum anni ccxix et menses sex.

Eo autem tempore, Sylla Athenienses vastavit.

Anno 1937°, in Aegyptum regnavit Ptolemaeus Dionysius annos xxx.

Abgarus occidit Bakru et solus regnavit annos xxiii et menses v.

Anno 1940°, regnavit apud Iudaeos Salina uxor Alexandri; et exinde res Iudaeorum perturbatae sunt.

1 I. e. « blaesus ».

Anno 1944°, Romani Antiochiam Syriae diruerunt.

Anno 1960°, mortuus est rex Edessae, et Edesseni sine domino fuerunt per annum, propter contentionem appetentium principatum; postea regnavit in eos Maʿnu qui vocatur deus, annos xviii et menses v.

Anno 1966°, in Aegyptum regnavit Cleopatra annos xxii.

Et eo tempore Caius Iulius Caesar Germanos vastavit.

Anno 1967°, in Romanos regnavit rex primus Caius Iulius Caesar, annos sex.

* p. 53. Anno 1972°, * occisus est Caius, et eius loco regnavit secundus Augustus, annos lvi et menses vi.

Anno 1980°, mortuus est rex Edessae, et regnavit Pacorus annos v.

Et eo anno adscenderunt Pacorus et Bar-Zaphron dux exercitus in Syriam, et Hyrcanum et Phasaelem, fratrem Herodis, in captivitatem abduxerunt.

Hic finitum est regnum Iudaeorum; et in eos rex *alienigena* factus est primus Herodes Philistaeus annos xxxvii.

Anno 1985°, mortuus est Pacorus, et regnavit Abgarus, annos iii, et post eum regnavit Abgarus rufus, annos iii.

Et Herodes oppugnavit Ierusalem et eam cepit, postquam duo moenia eius evertit, et omnem populum [1] in ea interfecit.

Diebus huius Herodis, cum appropinquaret nativitas Messiae, summum sacerdotium, quod a patribus *transmittebatur*, et regnum Iudaeorum dissolutum est. Adimpleta est enim prophetia, apud Mosen *scripta*, quae dicit: Non deficiet princeps e Iuda, neque dux de femoribus eius, donec veniat is cui destinatum est, et ipse est exspectatio Gentium [2]. Hic etiam Christus, qui praedicitur dux Gentium in vaticinio apud Danielem, finem accepit. Usque enim ad Herodem uncti fuerunt duces, id est summi sacerdotes, qui stabant coram populo Iudaeorum, qui coeperunt ab instauratione templi diebus Darii, olympiade lxv^a, et desierunt diebus Hyrcani, olympiade clxxxvi^a; anni autem in medio *transacti* sunt cccclxxxiii, quemadmodum

* p. 54. liber Danielis vaticinatur dicens: Scias et intellegas, * ab

[1] Sic complevit Tullberg; potius legendum « multos », ex *Chron. minor.*, p. 106. — [2] *Gen.*, xlix, 10.

egressu sermonis in firmandam sententiam et Ierusalem aedificandam usque ad Christum ducem hebdomades septem et hebdomades sexaginta duae [1]. — Hae itaque sexaginta novem hebdomades efformant tempus CCCCLXXXIII annorum, prout sunt anni principatus unctorum ducum. Et postquam Hyrcanus postremus a Parthis in captivitatem adbuctus est, Herodes filius Antipatri, cui non competebat regnum, ab Augusto et senatu Romanorum accepit regnum Iudaeorum, et deinceps eius liberi usque ad ultimam eversionem Ierusalem. Et non amplius ii qui progenie generis sacerdotalis erant Deo ministrabant, neque per totum tempus vitae suae secundum legem Mosis; sed viri ignobiles, alii alio tempore [2], et hi per singulos annos. Alii autem plus minus a Romanis sacerdotium emebant. Et haec autem praedicit Daniel dicens: Post hebdomades septem et sexaginta duas interibit unctio, et iudicium non erit in ea, et templum et sanctuarium corrumpet populus cum duce venturo; et abrumpentur cataclysmo belli. Et quidem postea in abominatione desolationis usque ad finem temporum consummatio dabitur super vastationem [3].

Anno 1988°, Cleopatra insidias struxit contra regnum Iudaeorum et Arabum; et valuit accipere haec loca ab Antonio [4].

Anno 1989°, profecta est Cleopatra ut pacem componeret *p. 55. cum Augusto in monte Libano; et ibi neci tradita est ipsa et qui eam adduxerant; sicut olim praedixit Daniel, dicens [5]: Filia regis Austri *ibit apud regem septentrionis, ut componat pacem inter eos, et tradetur ipsa et hi qui ducunt eam. — In clade autem Cleopatrae reginae Aegypti, etiam Helios et Selene, liberi eius, ad caedem venerunt.

Et eodem anno subacta est Aegyptus a Romanis, et solutum est regnum Ptolemaeorum, qui regnaverunt annos CCXCV.

Et eo anno Nicopolis urbs condita est.

Anno 1990°, Edessae regnavit Maʿnu, qui Saphlul cognominatur, annos XVIII et menses VII.

Anno 1991°, fuit terrae motus magnus et vehemens in Rhodo, et magnum pagorum numerum destruxit. Etiam Tralles hoc motu ruerunt.

1 DAN., IX, 25. — 2 ἄλλοτε ἄλλοι (*Chron. Pasch.*). — 3 Cf. DAN., IX, 26. — 4 Ms. « Antonino ». — 5 Cf. DAN., XI, 6.

Anno 1992°, subegerunt Romani Calabriam et Galatiam, et vectigales eas fecerunt.

Anno 1994°, Romani denuo Cyzicum subegerunt.

Anno 1996°, fuit fames magna et vehemens in Iudaea et Syria, et homines e regione dispersi sunt et discesserunt.

Anno 1998°, Herodes in urbe Ierusalem multa aedificavit, et Samariam, quae a tempore vastata erat, a fundamentis excitavit, et, ut honorem conferret Augusto Sebasto Romanorum regi, eam Sebasten appellavit.

Anno 1999°, fuit terrae motus magnus in Cypro, qui multa loca destruxit.

Anno 2000° Abrahami, Marcus Lollius Germanos populatus est.

Anno 2001°, Herodes templum quod erat Hierosolymis destruxit et aliud maius aedificavit.

* p. 56. Anno 2002°, Tiberius *subegit Vindelicos [1] et eos qui sunt Thraciae confines submisit omnes.

Anno 2005°, rex Herodes aedificavit Caesaraeam urbem et nomine Caesaris eam appellavit, et Agrippinam et Antipatridem et Herodium [2], et in Galilaea Gabalam [3].

Anno 2009°, Tiberius Pannonios subegit.

Et anno 2010°, iterum Germanos subegit Tiberius et imperator appellatus est.

Anno 2011°, praelium inter se Herodes et Parthi conseruerunt; et postquam e bello reversus est (Herodes) Hyrcanum summum sacerdotem Iudaeorum necavit; necavit etiam huius filium qui sacerdotium patris sui acceperat; necavit etiam et huius sororem, quae erat sua uxor; et duos filios quos ab ea habebat postquam adoleverant necavit; necavit quoque matrem *uxoris* occisae, quae erat sua socrus.

Anno 2012°, subegit Tiberius Armenios, et Rhetios [4], et Vindelicos, et Pannonios.

Et eo anno maior pars *insulae* Coi terrae motu diruta est.

Anno 2015° Abrahami, et Alexandri Macedonis anno 309°, Bethleem Iudaeae natus est fructus benedictionum, Iesus Christus filius Dei.

[1] Οὐινδικούς (*Sync.*). — [2] Ἀγριππίναν; Ἀντιπατρίδα; Ἡρώδιον (*Sync.*). — [3] Ms. GABA; *Sync.*; Γαβάλ. — [4] Ραιτῶν (*Sync.*).

Et eo anno, de mandato senatus, Cyrinus praefectus ingressus est Iudaeam, et descriptionem possessionum et incolarum sumpsit.

Colliguntur anni ab Abrahamo ad nativitatem Christi MMXVI.

* DE REVELATIONE MAGORUM; DE EORUM ADVENTU IERUSALEM, ET DE DONIS QUAE ATTULERUNT MESSIAE. — Narratio revelationum et visionum quae narraverunt reges [filii regum] Orientis magni qui, lingua illius loci, appellati sunt Magi, eo quod in silentio et sine voce glorificabant et orabant; et silentio menteque glorificabant et laudabant maiestatem altissimam et sanctam Domini vitae, Patrem sanctum et laudabilem, latentem in splendore magno suae essentiae, sublimem et sanctum supra omnem cogitationem. Et non capax est lingua humana loquendi de eo sicuti est, nisi sicut vult, et per quem vult. Et incapaces sunt eius creaturae sive superiores sive inferiores enarrandi maiestatem eius, nisi prout placet voluntati maiestatis eius manifestare creaturis, quantum possunt recipere ex dono maiestatis eius, quia multum est et non sufficiunt illud enarrare. Erant itaque sapientes qui lingua loci vocabantur Magi, quia in silentio, sine voce, glorificabant Deum Universi, cuius verbo et voluntate fuit quidquid fuit, et quidquid nunc est, et quidquid futurum est; et nihil fit praeter voluntatem eius; et nemo potest insurgere contra voluntatem Patris Universi. *p. 57.

Nomina sapientium et regum ita vocabantur[1]: Zaharwandad filius Arṭabaṅ; Hōrmizd filius Sanaṭruq; Auštazp filius Gudaphar; Aršak filius Mihruq; Zarwand filius Wadwad; Arīhō filius Kosrau; Arṭaḥšišat filius Ḥawīlat; Aštanbōzan filius Šīšrawan; Mihruq filius Humam; * Aḥširaš filius Ṣaḥban; Naṣardīḥ filius Baladan; Merōdak filius Bīl. *p. 58.

Hi sunt reges, filii regum orientalium in terra Šīr, quae est remotior totius Orientis in mundo ab hominibus habitato, ad Oceanum, mare magnum quod est extra mundum ad orientem terrae Nūd[2], illius nempe quam habitabat Adamus, princeps

[1] Magorum nomina alii aliter tradunt; vide apud Budge, *The Book of Apis*, text. p. 93, vers. p. 84. — [2] Cf. hebr. *Gen.*, IV, 16; LXX: Ναίδ.

et principium omnium generationum mundi. Hi autem filii regum praecepta, leges et etiam libros a patribus suis acceperant; de generatione in generationem unus ab altero acceperant, inde a Setho filio patris nostri Adami. Nam revelaverat Adamus Setho filio suo quem habuit; patefecit Adamus Setho suum honorem primitivum, cum nondum transgressus esset praeceptum, et suum exitum e paradiso; et monuit Sethum, filium suum, ne trangrederetur ipse iustitiam ad instar ipsius Adami. Et accepit Sethus mandatum sui patris corde mundo, et invigilavit ut adimpleretur, gratia altissimi Domini maiestatis. Et concessum est Setho ut libro consignaret et notam faceret sapientiam, et invocaret nomen Domini omnipotentis ipse vitae cupidus[1]; et per ipsum prima vice apparuit in mundo liber nomine Altissimi signatus. Et tradidit Sethus librum signatum posteris suis, et pervenit usque Noachum, qui et ipse iustus inventus est et etiam salvatus est ab aquis. [Et tempore diluvii sumpsit] secum Noachus libros praeceptorum [in arca, et] cum exiret ab arca, mandavit ipse Noachus posteris suis ut recitarent magnalia eius et mysteria abscondita quae scripta sunt in libris Sethi, quoad maiestatem Patris, et
* p. 59. mysteria omnia. Libri et mysteria et * sermo traditione deducta sunt etiam usque ad patres nostros, qui ea didicerunt et acceperunt cum gaudio, et tradiderunt nobismetipsis. Et nos etiam custodimus cum amore et pietate mysteria horum librorum, et mysteria et verba, et silentio oramus, et laudamus, et glorificamus, dum genua flectimus et manus nostras elevamus in altum caelum ad Dominum maiestatis quae absconsa est ab oculis omnium viventium. Et depositi erant hi libri mysteriorum absconditorum in monte Triumphorum ad orientem Šīr, nostri loci, in spelunca, Spelunca Thesaurorum mysteriorum vitae silentiosae. Et etiam praescripserunt nobis patres nostri, quemadmodum acceperant ipsi a patribus suis, et dixerunt nobis: Expectate lumen quod vobis orietur ab Oriente per altissimam maiestatem Patris[2], lumen quod ab alto orietur in speciem stellae supra montem Triumphorum, et requiescet supra columnam lucis intra Speluncam thesaurorum et mysteriorum

[1] Locus vix sanus. — [2] Textus perturbatus videtur.

absconditorum. Et praescribite etiam vos filiis vestris, et filii vestri filiis suis, donec appareat eorum posteris mysterium stellae quod orietur e maiestate altissima, lumen quasi stella quod illuminabit universam creationem et obscurabit lumen solis, lunae et stellarum, et ex his non erit apparens aut consistere valens coram splendore eius. Illud enim mysterium est magnum filii maiestatis altissimae, qui est vox Patris, proles mentis eius absconditae, splendor radii gloriae eius, voluntas et imago absconsionis eius, verbum producens omnes cogitationes eius, emanatio vitae quae non declinat a fonte suo; verbum quod omnia creavit iuxta voluntatem mitentis eum, imago quae non habet typum aut similitudinem in omnibus quae exstant; is *est* cuius virtute et cuius verbo ordinati sunt et subsistunt omnes mundi; filius est amoris perfecti, radius est splendoris * gloriae Patris maiestatis ineffabilis. Iam, scitote, * p. 60.
quando orietur vobis id lumen e maiestate infinita et apparebit vobis in speciem stellae ut possetis eum adspicere, alacriter cum gaudo et amore et diligentia perfecta, deferentes munera pura, quae ipsius sunt, reposita a patribus vestris in Spelunca Thesaurorum mysteriorum absconditorum, in monte Triumphorum, ite quo deducet vos lumen huius stellae, et videbitis signum magnum et mirabile. Deus enim videbitur in membris hominis, deformis, pauper, vilis, abiectus et humilis, et etiam signum crucis videbitur supra eum: vos autem ite coram eo cum amore et gaudio, et deferentes vobiscum dona vestra, procumbite coram parvulo contempto, humili et debili [1], et offerte ei munera vestra; et accipietis ab eo benedictionem vitae, et participabitis cum eo in gaudio, quando veniet in gloria eius abscondita et in divinate eius perfecta, et in divitiis integris quae non pereunt, et in mundo eius novo, et in lumine eius [indeficiente], et in vita perfecta quam dabit omnibus [qui [2] ......] Etiam vos invigilate et mandate filiis vestris; et si non acciderit adventus luminis stellae diebus vestris, filii vestri narrabunt filiis suis donec compleantur mysteria et revelationes quae scripta sunt de eius adventu. — Et accepimus leges et mandata a patribus nostris; etiam nos docebamus

[1] Cod.: « et occiso »; lapsus pro ܡܚܝܠܐ. — [2] Desunt sex voces.

omnia mysteria et monebamus filios nostros: Fortasse diebus vestris erit adventus luminis huius stellae, sicut accepimus et didicimus a patribus nostris. Et adscendebamus in montem Triumphorum. Et dum congregati sumus omnes, singuli e domicilio suo, ad pedes montis expectabamus in uno loco, in
* p. 61. munditia, * die vicesima quinta cuiusque mensis; et lavabamus nos in quodam fonte qui erat ad pedes montis, et qui fons purificationis vocatur; et supra hunc fontem stabant arbores septem: oliva, vinea, myrtus, cupressus, citrea, cedrus, et abies. Et mons ille decorus et pulcher est prae omnibus montibus regionis nostrae ultra modum; et ab eo emanabat odor omnium aromatum, et ros qui stillabat in eo suave olens erat. Ubi autem adveniebat initium mensis adscendebamus, progredientes ad verticem montis, et consistebamus ante ostium Speluncae Thesaurorum mysteriorum absconditorum, et prostrabamus in genua nostra et extendebamus manus nostras ad caelum, et orabamus et adorabamus in silentio, sine voce, Patrem maiestatis altissimae, ineffabilis et infinitae usque in aeternum. Et die tertia mensis ingrediebamur Speluncam ad thesauros reconditos qui parati erant *ut sint* munera stellae, et pro adoratione luminis illius quod exspectabamus. Et quod legebamus et audiebamus in revelatione quando revertebamur, descendentes in gaudio, narrabamus et docebamus filios nostros et tribus nostras et quemcumque se cum amore docilem praebentem. Accidente autem ut deficiat quis nostrum, filius eius, aut unus e tribu eius, surget in locum eius, sicut nos in locum patrum nostrorum surreximus, donec compleatur tempus adventus stellae. Et etiam incolas huius loci, qui amori revelationis se dederant ut cum gaudio discerent, docebamus; qui autem discere nolebant et se auxilio privabant, quia videbant quietem nostram et nos in silentio orantes, honorifice eis
* p. 62. dicebamus * mysteria [1].

Rursum, ex libris qui erant in Spelunca Thesaurorum mysteriorum absconditorum. — Cunctus sermo quem locutus est Adamus, primum principium generis nostri, cum Setho filio suo, quem habuit post mortem Abelis a fratre Caino occisi, et

[1] Aliquid desiderari videtur.

quem lugit eius pater Adamus. Et exposuit Adamus Setho filio suo de ......[1], et de revelatione luminis stellae, et de gloria eius, quia viderat illud in paradiso Eden, cum descenderet et sisteret ad arborem vitae, et omnia dilucidaret, prius quam transgressus esset Adamus praeceptum Patris maiestatis altissimae; sed postquam transgressus est mandatum sibi impositum, ei erepta est visio huius stellae; et *exponebat* eiectionem suam e paradiso, et lamentabatur pater noster Adamus propter peccatum quo se dimisit a dignitate sua; et multum monebat Sethum filium suum, et docebat eum ambulare in iustitia ut inveniret misericordiam coram Patre maiestatis; et dicebat ei: Fili, erunt a me et a posteris meis generationes et saecula; et narrabunt stultitiam meam, et proverbia proferent unus alteri quae in me completa sunt, et dicent: Omne regnum in se divisum non subsistet[2]. Id in me completum est, quia discidium feci in regno in quo stabam, et ego per memetipsum illud perdidi. Fili, costa quae a me excisa est ipsa fuit offendiculum et occaecavit oculos meos. Ipse vaticinatus eram quando vidi eam, et dixi: « Haec occasio os et caro ex me »[3]; et bene vocavi eam « occasio », quia fuit mihi offendiculum. Fili, caveas ab ea in verbis oris tui, et ne revelas ei secreta cordis tui. Praeceptor enim meus misericors in honorem et gloriam eam mihi fecit adiutorium, quia diligebat me tanquam filium dilectum, et ego feci eam * damnum et destructionem * p. 63.
vestigiorum meorum, adeo ut eiecerit me e paradiso regni mei. Et ego non intellexi honorem meum, sed corde meo exaltatus sum consilio perverso, quia ipsa dedit mihi audiendum calicem verborum amarorum fraude serpentis. Et non intellexi praecellentiam meam, qui cum nihil essem factus sum, et cum factus essem in tanto honore constitutus fui; neque potentiam meam in universum mundum, neque amorem mei apud sanctos angelos, neque plenitudinem vitae in paradiso, et magis quam cetera dilectionem et benignitatem sancti praeceptoris mei qui diligebat me et miserebatur mei, tanquam pater benignus, et postquam audacia mea mandatum eius transgressus sum, non

[1] Tres voces desunt. — [2] Cf. MATTH., XII, 25; LUC., XI, 17 — [3] *Gen.*, II, 23; in hebr.: « Ecce nunc » τουτὸ νύν.

tanquam Dominus ira motus damnavit me; sed tanquam pater benignus cuius castigationi misericordiae miscentur. Si enim secundum peccatum meum me iudicavisset, tanqam pulvisculum me consumpsisset, et quasi nunquam exstitissem me fecisset. Et quis est qui resistat ei et ei dicat[1]: Quare fecisti? Sed castigavit me cum misericordia, et non secundum peccatum meum iudicavit me: nam vides, fili, nunc totam creationem sub potestatem meam esse, ut antea. Deceptor meus malignus fraude sua voluit me humiliare et se liberare a potestate mea: e contra Preceptor meus benignus posuit eum sub pedes meos ut eum calcarem, et mihi iniecit timorem ne iterum audirem consilium eius, et secundum iudicium eius iustum clausit os eius mendax et illud pulvere replevit; et confregit pedes eius ne super eos ambularet, et eum separavit ab omni animali agresti ei simili. Haec omnia, filii, mihi acciderunt, et perdidi dignitatem meam; causa omnium malorum Heva, mater tua, fuit mihi offendiculo. Tu, fili, caveas a consilio eius, neque ei morem geras sicut ego; sed dilige et honora dominum vitae, preceptorem meum benignum; et vivificabit te et misericors erit tibi. * p. 64. Erunt enim e progenie mea * et e posteris meis viri gloriosi et honorati, tractantes mysteria sublimia; et invenient misericordiam plurimam, et orabunt, et petent et exaudientur. Et[2] ...... maiestatis. Et ultimis temporibus huius generationis, erunt rebellantes et non reformidabunt stultitiam meam et castigationem mihi inflictam, sed audent proferre convicium adversus maiestatem altissimam. Et multa dicent; et facient etiam imagines pictas et sculptas, et etiam solem et lumam colent et proferent verba blasphemiae. Et haec omnia accident eis ob fraudes deceptoris mei mendacis; nam suo amore mendacii et deceptionis fele plenae accedet ad unumquemque e posteris meis et capiet allicietque eos vana gloria divitiarum multarum et elationis, et vestimentorum, et possessionum, et fornicationis, et superbiae, et iniquitatis, et avaritiae, et bonorum cuiusque generis. Et tanquam dilectus et amicus apparebit eis et blandietur eis. Et rursum, musica et ebrietate, festis sordidis et impuris, quae sunt deliramenta vanorum eius phan-

[1] Cf. Dan., iv, 32. — [2] Tres voces perierunt.

tasmatorum, et variis modis luxuriae capiet eos in amore fraudis suae inhonestae; quemadmodum apud me per Hevam verbo suo mendaci, tanquam modestus et de me sollicitus: Ecce quod te decet et honestum est suadeo tibi; nam ubi manducaveris ex arbore, ex qua iussus es non manducare, fies quasi deus tuus, preceptor meus benignus. — Et non intellexi, ego miser, honorem meum et quod non possit mihi *prodesse* consilium eius mendax, nec possit esse lutum sicut plasmator eius, aut servus sicut dominus eius. Sed cognosco misericordias plurimas maiestatis mei praeceptoris * benigni, quae revelabuntur super me * p. 65. in fine dierum; et novissime liberabit me a laqueo et eriget me a pulvere, sicut erexit me quando non eram. Et congratulatus est mihi et exultavit inimicus meus quia cecidi dolo eius, paratus est Salvator meus benignus et praeceptor meus misericors fulcire me et misereri mei in caritate sua; et quia descendi in tenebras, ipse lumine suo me roboraturus est et illuminaturus oculos meos sicut fecit mihi antea: insufflavit in faciem meam spiritum et vixi. Sed tu, fili, placeas plasmatori meo et vivificatori meo, et etiam generationes tuae post te, ut invenias misericordiam coram eo. Non enim imputabit tibi peccata mea, propter benignitatem eius; si enim secundum peccatum meum mihi retribuisset, non prolem genuissem; etiam non accepisset munera Abelis fratris tui, neque vindictam sanguinis eius sumpsisset e manibus fratris eius qui eum occidit. Non enim in abundanti misericordia sua se avertit ab eo qui diligit et ambulat coram eo in iustitia; etiam eis qui peccant coram eo spatium paenitentiae concedit; et eorum miseretur si paenitentiam agunt et rogant eum: quia misericordiae eius multae sunt erga eius creaturam.

Et audivit Sethus quidquid praecepit ei Adamus pater eius, praecepta his numerosiora, et scripsit ea diligenter; et invenimus ea in libris qui depositi erant in Spelunca Thesaurorum mysteriorum absconditorum. Etiam ipse praecepta dedit et aliis addidit. Et mundavit cor suum Sethus, ne se subiciat deceptori maligno; et glorificabat et invocabat nomen Patris maiestatis celsissimae. Et etiam mandavit Sethus filiis suis quoad haec mysteria. Et legebamus *ea* singulis mensibus quando adscendebamus montem et ingrediebamur cum amore Spe-

luncam Thesaurorum absconditorum; et discebamus nos, et docebamus filios nostros et tribus nostras. Adveniente autem tempore et complemento omnium quae scripta sunt in libris circa revelationem luminis stellae absconditae, etiam nos digni
* p. 66. fuimus ut diebus nostris * veniret et reciperemus illud cum gaudio, sicut iussi sumus a patribus nostris, et sicut legeramus etiam nos in libris. Et singuli videbamus visiones admirabiles et diversas quae nunquam nobis visae erant, sed mysteria eorum (*significationis*) in libris quos legeramus erant. Et venerunt unusquisque e domicilio suo secundum antiquum morem nostrum, ut adscenderemus montem Triumphorum[1]...... [lavare] in fonte purificationis ut purificaremur, prout soliti eramus. Et vidimus[2]...... in similitudinem columnae luminis ineffabilis, quod descendebat et supra [mysteria][3] stabat. Timuimus et commoti sumus cum illud vidimus, et supra illud stellam lucidam cuius splendorem haud capaces sumus dicere, qui multoties splendorem solis superabat, nec valuit sol stare coram lumine radiorum eius, et sicut apparet luna tempore mensis nisan dum oritur sol et *ea* absorbetur in eius lumine, ita apparebat nobis sol cum orta esset super nos stella. Nobis quidem, et mysteriorum conciis, apparuit lumen stellae praestantius *lumine* solis, et nemini alii visa est, quia remoti erant a mysteriis et ab adventu eius. Et gaudentes glorificavimus et confessi sumus praeter modum Patrem celsissimae maiestatis, quod diebus nostris apparuerit, et digni fuimus eam videre. Et postquam nos lavavimus cum gaudio in fonte purificationis, adscendimus montem Triumphorum sicut solebamus. Et adscendimus et invenimus columnam lucis ante speluncam; et prostravimus nos in genua et extendimus manus nostras secundum morem nostrum antiquum, et in silentio glorificabamus visionem miraculosam. Et vidimus rursum caelum apertum quasi portam magnam, et viros gloriosos portantes suis manibus stellam lucis; et descenderunt et steterunt supra columnam lucis,
* p. 67. * et totum montem replevit splendor eius ore humano ineffabilis. Et accessit ad oculos nostros a columna et a stella, quasi

[1] Tres voces perierunt. — [2] Vox periit, forsan « lumen » (?). — [3] Vox periit.

manus viri parvuli, quem intueri non potuimus, et roboravit nos; et vidimus hanc stellam ingredientem in Speluncam Thesaurorum mysteriorum absconditorum, et resplenduit ultra modum spelunca. Et audivimus vocem humilem et iucundam quae nos vocabat et dicebat: Intrate intus sine haesitatione cum amore, et videte visionem magnam et mirabilem. Et roborati confortatique sumus verbo huius vocis. Et ingressi sumus timentes, et fleximus genua ad ostium Speluncae ob abundantiam lucis. Et postquam surreximus in verbo eius, elevavimus oculos nostros et vidimus splendorem illum ore hominum ineffabilem. Condensatus est et apparuit nobis quasi in membris hominis parvi et humilis, et dixit nobis: Pax vobis, filii mysteriorum absconditorum. Et rursum attoniti sumus visione. Et dixit nobis: Ne ancipites sitis ob visionem quam videtis. Apparuit vobis splendor ineffabilis vocis absconsi Patris altissimae maiestatis. Et rursum visa est vobis *stella* condensare lumen suum in splendoribus suis, et apparuit vobis in speciem hominis parvi, humilis et contempti; eo quod inapti sunt incolae mundi contemplari gloriam filii unigeniti Patris maiestatis, nisi appareat eis in quadam ex formis mundi eorum. Et rursum futurum est ut signa alia in eo videantur, quae tegant et dissimulent maiestatem celsissimam, propter redemptionem vitae hominum, nam dilexit eos Pater meus, ne pereant in errore in quo gradiuntur; et ego perficiam caritatem Patris usque ad mortem crucis. Propter vitam eorum descendi ut elevarem eos ad me in caritate et perfectione indivisibili, ut per me laudarent et glorificarent Patrem maiestatis gloriosae qui misit me * in redemptionem eorum; et amavi eos ne pereant in * p. 68.
errore in quo gradiuntur. Et postquam apparuero eis in plenitudine temporum, non erit eis excusatio pro peccatis eorum nisi paenitentiam agant et credent in me. Et vos etiam, quod iussi estis a patribus vestris, et quidquid didicistis e mysteriis librorum quos legebatis, facite quidquid vobis dictum fuit. Ecce enim mysteria abscondita lucis stellae cuius visionem exspectabatis; ecce ipsemet seipsum manifestat vobis quantum potestis audire et credere sine dubio, quia videtis in me signa multiplicis formae. Sumite itaque vobiscum thesaurum a patribus vestris in hac Spelunca depositum; et manete in

gaudio et adorate[1] ...... natus est quasi homo, et adorate me ibi[2] ...... [nam] dum nunc vobiscum loquor, etiam ibi sum. Quia annuntiata est per angelos praedicatio mea, etiam ibi apud maiestatem Patris mei sum, et ubique sum; eo quod sum radius lucis cuius splendor ortus est in hunc mundum, e maiestate Patris mei qui misit me ut perficerem quidquid dictum est de me in universo mundo et ubique, quoad mysteria ineffabilia, utque adimplerem mandatum patris mei gloriosi quod per prophetas de me nunciavit domui exasperanti[3], quemadmodum etiam vobis, prout decet fidem vestram, revelatum est. Et ego vobiscum adscendam et ero vobis dux in toto itinere quod suscepturi estis; nam visuri estis signa gloriosa et res praeclare gestas in universa terra; et consummationem
* p. 69. omnium mysteriorum Hierosolymis *rursum videbitis, et ratum erit vobis quidquid vobis dictum fuit; et videbitis etiam signa humilia, etiam speciem contemptam et abiectam, ita ut homines audeant me impudenter impetere, et velint in me facere quidquid dolose cogitaverunt; at non poterunt suum consilium perficere, sed quidquid facturi sunt in eorum caedem et consumptionem vertetur, et voluntas Patris adimplebitur ad salvationem totius mundi.

Et postquam haec omnia nobiscum locutus est et plura alia, quae non possumus ob opulentiam eorum magnitudinis recitare, egressi sumus omnes e Spelunca, exultantes et gaudentes quod digni fuimus ut haec omnia mysteria maiestatis ineffabilis nobis revelarentur et nobiscum communicarentur. Et sumpsimus totum thesaurum quod erat depositum in Spelunca, et obsignatae erant epistulae quibus involvebatur. Et e monte descendimus celebrantes mysteria revelationum lucis stellae quae apparuit nobis. Et unusquisque nostrum narrabat revelationes et visiones quas habuit in Spelunca Thesaurorum mysteriorum absconditorum; et non similes erant visiones una alteri, et omnia mirabilia nobis manifestata multiplici specie erant. Erat inter nos qui diceret: Vidi lumen in quo erant multae imagines mirabiles. Erat qui diceret: Vidi infantem

[1] Perierunt tres voces. — [2] Quattuor voces perierunt. — [3] οἶκος παραπικραίνων (Ez., III, 9; LXX).

cuius formae sunt ineffabiles. Erat qui diceret: Vidi adolescentem qui non habet similem in hoc mundo. Erat qui diceret: Vidi hominem humilem vultu languido et afflicto. Erat qui diceret: Vidi crucem et pendentem in ea virum lucis portantem peccata totius mundi. Erat qui diceret: Vidi descendentem cum potentia in infernum, et surrexerunt eumque adoraverunt omnes mortui. Erat qui diceret: Vidi adscendentem *cum gloria, et aperientem sepulcra et excitantem mortuos, *p. 70. dum clamant et dicunt: Sanctus est rex noster, et sanctus descensus eius ad nos; propter delicta nostra humiliatus est ut nos liberaret. Et erat qui diceret: Vidi adscendentem in altum, et angelos aperientes coram eo portas caeli, et nubes Seraphim et Angelorum portantium eum palmis suis, et Spiritum paracletum deferentem coronam, diadema et praemium fulgens victoriae coram eo, dum celebrant et canunt omnes Virtutes honorem humiliationis eius, quae divicit totum certamen erroris et mortis.

Haec et similia et plura alia dum descendimus e monte Triumphorum celebrabamus, et narrabamus alter alteri quidquid ibi vidimus et audivimus. Et in magno gaudio magnaque laetitia eramus, quia digni fuimus contemplari totum hoc donum vitae; nam omnes reges et iusti et prophetae et potentes oraverunt, et speraverunt, et exspectarunt ut viderent hanc visionem: et non viderunt; quia nondum erat tempus adventus stellae lucis dantis vitam perfectam suis fidelibus.

Cum haec celebraremus subito vox in magna luce cum suavitate indicibili pervenit ad aures nostras e sublimi altitudine maiestatis, quae nobis dixit: Quidquid vidistis et audivistis, et locuti estis et dictum fuit vobis, et nunc miramini, una gutta est vitae e domo maiestatis. Nemo enim est qui possit cognoscere omnia mysteria Unitatis nisi ille qui emanatus est e cogitatione absconsa Patris, et nemo novit Patrem, nisi vox generans verbum vitae revelaverit profunditatem absconditam cogitationis Patris, quae in eo est *in aeternum; et in voce *p. 71. et in verbo Patris maiestatis steterunt et ordinati sunt mundi superiores et inferiores et Angeli et Virtutes et Principatus et Potestates, etiam is mundus in quo statis: et altitudo et profunditas et longitudo et latitudo. Et nihil aliud est prae-

ter voluntatem Patris maiestatis, aut fuit sine voce vitae. Hic est enim filius meus dilectus, apostolus amoris perfecti: ipse revelat abscondita Patris diligentibus eum, quantum eos decet et possunt recipere e dono filii; hic annunciat mundos novos et perfectos eis qui consentiunt et credunt in eum; hic interpres est sapientiae mysteriorum absconditorum; hic est figura et imago Patris maiestatis, qui semper ab eo exauditur; hic est filius unigenitus perficiens totam voluntatem patris sui; hic qui nunquam amatur et honoratur quantum dignus est, quia is mundus amat tenebras et delicias suas magis quam eum; hic est qui se humiliavit et homo factus est propter salutem hominum, ne pereant; induit voluntarie corpus, vilem formam, ut in eo occideret mortem et tolleret imperium mortis, ut daret vitam aeternam eis qui diligunt eum et credunt in eum; hic est cuius nomine fient signa et prodigia per eius fideles; hic est filius perfectus faciens voluntatem eius qui eum misit; hic est via et porta lucis eis qui per eum ingrediuntur; hic est qui est in omnibus et supra omnia celebratur et praedicatur; hic est panis vitae qui ab me descendit in fideles, quia ipse est seminator verbi vitae; ipse est pastor verus qui tradit seipsum redemptionem pro grege suo; ipse est sacerdos magnus qui mundos sangine suo purificat; ipse est potus vineae vitae; hic quem vidistis apparuisse vobis in formis plu-
* p. 72. rimis a * sinu meo non recedit neque ab hypostasi gloriae suae, et nemo comprehendit eum vel maiestatem eius, ut dicat qualis sit, nisi ego; ego et ipse unum sumus, in gloria ineffabili.

Et postquam haec omnia et plura alia, inter nos de eo dicta sunt iuxta revelationem in qua apparuit nobis stella sub optimis formis, ut possimus eam videre, quasi homines debiles locuti sumus de ea, cum non possimus enarrare quidquid vidimus. Et praeparavimus in totis castris viatica muneraque munda et sancta quae eduximus e Spelunca Thesaurorum mysteriorum absconditorum, ubi olim a patribus nostris deposita erant, et profecti sumus magno cum gaudio, exultantibus cordibus nostris, ut perveniremus ad locum nobis praescriptum ad adorandam visionem stellae splendoris infiniti.

Et rursum apparuit nobis dux noster, legatus noster optimus, lumen nostrum perfectum, ductor noster gloriosus, ipsa

stella, procedens ante nos, incumbens undique totis castris nostris, et illuminans nos splendore suo absconso; et non indigebamus luce solis neque lunae, nam lux eorum minor luce eius erat in oculis nostris; et die nocteque in luce eius ambulabamus, exultantes et gaudentes, sine molestia et sine defatigatione, cum pararet ante nos mansionem benedictam in qua solveremus et laetantes quiesceremus. Etiam viatica multiplicabantur in oculis nostris nec minuebantur, sed de die in diem magis augebantur; nam illa requiescebat super nos luce sua et nos ab omni defatigatione nostra liberos faciebat quasi non iter fecissemus. Et montes, et colles et loca ardua ante nos complanabat; etiam flumina nobis occurrentia pedibus trangrediebamur *sine timore propter lucem ductoris nostri boni * p. 73. qui castra nostra comitabatur. Et rursum quando transgrediebamur regiones ferarum et serpentium nocivorum pedibus calcabamus eos; et in singulis mansionibus gubernator et dux noster omnimodis visionibus apparebat unicuique nostrum in sua gloria, et gaudio magno corda nostra replebat; et omnes mansiones quas gradiebamur erant oculis nostris breves et celeres, ob signum nostrum purum et lumen nostrum validum. Quod maius est quam ulla lingua humana enuntietur, ipsum ducebat nos virtute sua pura.

Et postquam pervenimus prope Ierusalem mense aprili[1], introduxit nos legatus noster bonus in Ierusalem. Et perturbati et commoti sunt optimates et principes eius, et nos interrogaverunt: Quam ob causam huc venistis? Num propter mysteria magismi vestri? Quia videbant nos caelum intuentes, et signum nostrum adorantes, et ducem nostrum depraecantes, eo quod ignorabant mysteria nostra, et tanquam magos nos reputabant. Et diximus eis: Signum maiestatis celsissimae vidimus in patria, ut iussi sumus a patribus nostris, *signum* quod rex, Christus vivificator et salvator, qui tradet seipsum morti propter universum mundum, natus est hic, et venimus quia vidimus omnia indicia et figuras divinitatis eius absconditae, in forma viri corpore induti; et venimus gaudentes cum muneribus nostris puris, quae deposita fuerant a patribus nostris,

1 Ad litt.: « mense florum ».

in Spelunca Thesaurorum mysteriorum absconditorum, in monte Triumphorum. Et iussit nos in magna visione venire in hunc locum ut adoraremus eum in timore, quia ubique habet adoratores, et ipse fiet eis vivificator et salvator, et peccatorum condonator; et per ipsum reconciliabitur Dominus uni- *p. 74. versi creaturae suae, * et propitius erit populo suo. — Convocavit senes nobiles civitatis Herodes gubernator loci et interrogavit eos: Ubinam, secundum Scripturas, nasciturus est rex Christus, salvator et vivificator mundorum? — Et omnes uno ore responderunt ei: In pago Bethlehem, ut dictum est a maiestate suprema patri nostro Davidi, prophetarum primo, qui fuit antiquo tempore. — Et postquam audivimus ab eis quidquid dixerunt, rursum gavisi sumus valde. Et dum laetamur vidimus ducem et gubernatorem nostrum, et magis auctum est gaudium nostrum. Et postquam narravimus omnia mysteria et revelationes et laudes, ivimus cum gaudio Bethlehem, prout legerunt scribae caeci, qui non crediderunt quod legerunt in libris suis, neque Herodes gubernator obcaecatus et privatus[1] amore lucis quae nata est in loco eorum, quae ante saecula est lux, et ipsi in mundo in tenebris habitant suis diebus. Sed dixit nobis Herodes astucia sua: Ubi vidistis Christum, venite et dicite mihi, ut et ipse eam adorare eum. — Sed quia non erat dignus adorare lumen quod natum est, eo quod domicilium erat erroris, a ductore et lumine nostro nobis dictum est ne redeamus ad eum; quia non erat dignus videre lumen magnum mundi, eo quod omnino surdus et caecus fuit respectu adorationis eius. Ivimus et cum gaudio ingressi sumus Bethlehem, pagum (dignum sic vocari) ob prolem sanctam et lumen magnum quod in eo ortum est, ut deleret et dissiparet omnem errorem mortemque destrueret. Et cuncti ingressi sumus aedes in quibus natus est dux noster. Et vidimus speluncam similem adspectu Speluncae Thesaurorum mysteriorum absconditorum *p. 75. quae est in patria nostra, * e qua didiceramus mysteria abscondita de eo praedicata, quae a patribus nostris antiquis in ea reposita fuernt, et completa sunt omnia hodie in adventu nostro ad hunc locum. Et vidimus columnam lucis descendentem,

1 Ad litt. « caecus ».

sicut eam olim videramus; et stetit ante speluncam; et descendit stella lucis et stetit supra columnam, et angeli ad dexteram et ad sinistram eius stabant. Et cum videremus eam rursum gavisi sumus timore repleti. Et progressi sunt ante nos columna et stella et angeli in speluncam in qua natus est mysterium et lumen vitae. Et vox misericors suasit nobis: Intrate; et ingressi sumus post eam; et tollimus coronas nostras et deposuimus eas ad pedes eius: quia ipsius est regnum in aeternum; et ante eum genua fleximus et adoravimus in terram: quia omne genu flectitur et adorat in caelo et in terra[1]. Et aperuimus thesauros nostros absconditos, et deferentes eos sigillatos venimus ad thesaurum vitae sigillatum maiestate suprema, et protulimus thesauros nostros ante thesaurum vitae, ut ab eo reciperemus ea multo maiora[2] in regno coram tribunali vitae.

Et aperuit puer gloriosus os suum et splendor antiquus perficiens voluntatem Patris maiestatis; et nobis dixit in caritate amoris sui abundantis et iucundi: Pax vobis, filii mysteriorum absconditorum, filii Orientis luminis altissimi, quia digni fuistis videre lumen antiquum et aeternum, vos et patres vestri; et sicut meruistis, ecce recepistis illud in amore perfecto indivisibili, et iterum digni eritis ut videatis lumen magnum, apud quod non sunt amplius mysteria, quia omnia in eo complentur, et ipsum solum regnat nunc super omnia et omnia ei subiciuntur. Ego *enim apparui vobis in regione vestra, et in myste- *p. 76.
riis locutus sum vobiscum. Ego fui vobis dux et ductor huc donec in pace perveneritis ad me. Ego rursum ero vobiscum usque ad finem et non discedam a vobis neque ab omnibus qui credunt in me amore perfecto. Et vos rursum eritis mihi testes in regione Orientis cum discipulis meis quos elegi ut praedicent evangelium meum, postquam perfecero voluntatem Patris mei in omnibus quae mandavit mihi, et adscendero in gloriam in qua cum eo eram. Et etiam nunc dum loquor vobiscum, sum cum eo, et non fui privatus maiestate Patris. Dabo vobis nunc signum aliud quod mirabimini: hora qua videbitis solem obscurari in die tanquam in nocte et fiet terrae motus vehemens, et audietur vox mortuorum e sepulcris suis laudantium, tunc

1 Cf. *Rom.*, XIV, 11. — 2 Ad litt. « in multis duplis ».

scitote tempora et momenta conversationis meae apud vos completa esse; levate oculos vestros in caelos et videte eos gloriose aperiri coram me: et ascendam ego in gloria quae mihi competit, et sedebo ad dexteram Patris maiestatis, a quo missus sum manisfetare eum mundo.

Et postquam haec omnia nobiscum locutus est vivificator, resplenduit tota spelunca, et facta est in oculis nostris tanquam mundus alter, cui non est [in toto mundo] similis splendor. Et voces spei plures dum loquuntur[1]...... innumeros. Sane. Amen.

Primogenitus aperuit misericordias absconsas, filius sanctus perfecit voluntatem Patris celsissimi, et ipse est quidem perfectus, et omnia sunt in manibus eius et certe: In lumine
* p. 77. tuo et in verbo tuo perfecti et completi sunt * mundi omnes visibiles et invisibiles; et te adorant Angeli et omnes Virtutes, tuus est locus vitae quem dabis electis tuis; tuus est splendor antiquus, quia tu es fructus dilectus cogitationis Patris; tu es imago et voluntas Omnipotentis, explanator secretorum; quia in verbo quod pronunciatur cognoscitur quidquid est in cogitatione: tu es omnia et omnia in te sunt; et citra voluntatem tuam nihil est.

Postquam has omnes laudes dictae sunt et audivimus, timore commoti sumus et cecidimus in terram tanquam mortui. Et extendit dexteram suam potentem parvulus filius lucis et posuit eam super nos, et roboravit nos et dixit nobis: Filii mysteriorum meorum, ne timeatis. Omnia enim quae vidistis et audivistis a prima die ad hanc diem, et quae mirati estis *vos*, et etiam qui audient ea, non sunt me maiora, sed vobis praestantiora quia carnem debilem induti estis; sunt autem me valde minora, unum enim e praestantioribus quae sunt mihi apud Patrem qui misit me, non potestis videre vel audire propter debilitatem vestram. Sed sicut meruistis haec videre et audire hoc tempore et mirabilia sunt oculis vestris tanquam magna, rursum merebimini, per amorem meum erga vos in aeternum, ut videatis et audiatis maiora quae non possunt nunc enunciari, nec sufficiunt eas proferre Vigilantes et An-

1 Tres voces perierunt.

geli; nam etiam ipsis valde maiora sunt. Itaque surgite; ite in pace ad locum vestrum receptorem lucis, quia digni fuistis recipere lucem perfectam celsissimae maiestatis, et cum gaudio venire ad eam adorandam muneribus vestris. * Ecce adimplevistis * p. 78. quidquid iussi estis a patribus vestris, et etiam meruistis scire et discere[1] antiqua mysteria abscondita, a primis generationibus vobis scripta; ecce nunc vidistis completionem mysteriorum vestrorum, et quidquid iussi fuistis complevistis in amorem meum et in meum testimonium. Et rursum digni facti estis fore mihi testes in Oriente, cum discipulis meis, a me electis ante constitutionem mundi. Postquam complevero voluntatem Patris mei in omnibus quae me iussit, et adscendero apud eum in gloria, mittam vobis in locum vestrum quosdam ex electis meis, et loquentur et testabuntur vobiscum veritatem ut sit signum vestrum uno consensu. Surgite itaque; ite in pace; ego vobiscum sum in omnibus visionibus et signis, sicut fui vobiscum a prima die. Quemadmodum enim sum hic in adspectu et in omnibus formis, et miramini omnes visiones et formas in quibus me videtis, et etiam apud Patrem maiestatis cuius voluntas sum ab aeterno, non discessurus sum a vobis in aeternum, neque a Patre, quia radius sum splendoris eius, et missus sum ad vos ut vos illuminarem. Et ecce nunc miramini tanquam viri debiles: quanto magis cum veniam ad vos in maiestate Patris mei; quia non poteritis stare ante me, neque Angeli, neque Potestates, qui vobis superiores sunt; et cum descendi ad eos et viderunt visionem prodigiosam in timore et tremore steterunt. Etiam his, prout decebat eos, apparui; vobis autem quantum potestis videre apparui. Figuram enim aut similitudinem in hoc mundo Pater maiestatis non habet, nisi me qui ortus sum ab eo, qui sum eius voluntas et virtus et sapientia; quia sum * in Patre meo * p. 79. et Pater meus in me est[2]. Et ego, — sicut decet Deum ut videatur, et a mundo cognoscatur, et quantum possunt filii sapientiae recipere et audire, — in amore maiestatis Patris qui misit me, nunc apparui vobis in forma humana, ut perficiam quidquid scriptum est de me. Propter rationem et stultitiam

[1] Vel « docere », deficientibus punctis. — [2] Cf. IOH., XIV, 11

peccati Adami primi patris vestri qui vos praecipitaret in infernum, et in vos dominata est mors, et regnavit error dolosus in generationes vestras, et existimavit in sua audacia, quod sit dominus vester et sitis possessio eius in aeternum. Et rursum annunciavi vobis libertatem vestram et patrum vestrorum et protogenitoris vestri, quia ex gente lucis estis, nec in vanum creati estis in mundo, et caelum et terra et omnes mundi propter vos facta sunt. Etiam Pater maiestatis propter hunc amorem misit me et indui formam vestram, ut in ea destruerem et conficerem omnes qui vos molestant et captivos tenent, et offerrem vos Patri coram eo (tanquam) oblationem mundam et perfectam, cum non sit in vobis ullum stigma erroris, et liberarem vos amore et veritate in aquis puris et regeneratione Spiritus sancti, et sitis mihi amore fratres et fideles, sicut pueri in quibus non est ulla macula malitiae deinceps et in aeternum. Itaque gaudium et glorificatio et laus in altissimis adscendet a vobis per me qui sum voluntas eius: et gaudium et salus et communicatio Spiritus et vita aeterna per me dabuntur vobis, ut omnia in concordia indivisibili, sicut ab initio, in sinu Patris sint, cum vos sanctificet et vestrum misereatur eius virtus et eius sapientia et eius voluntas pura in saecula saeculorum.

Et audita est rursum vox ex alto, et ex omni parte, et e *p. 80. medio terrae, respondens * et dicens: Amen; voluntas vitae perfecta, gaudium et pax omnibus mundis. Et postquam accepimus ab eo praecepta vitae, in magno gaudio et exultatione et glorificatione, cordibus nostris summa spe repletis, recessimus ab eius conspectu, ut rediremus in patriam. Et nobiscum egressi sunt Ioseph et Maria, viri honorati et beati qui meruerunt et digni habiti sunt vocari et nomine esse parentes et educatores filio vocis quam audivit virgo, et educatores voluntati perfectae amoris perfecti. Fuit Maria porta luci magnae quae ingressa est mundum bonitate, ut dissiparet tenebras; fuit via vitae Deo ipsius filio, qui apparuit in membris humanis, et erit ei nomen et memoria et beatificatio in generationes et generationes. Et levaverunt oculos suos et viderunt lumen quod caritate natum est in domo eorum, nobiscum esse et nos comitari, et dixerunt nobis: In adventu vestro apud

nos ingrato abducitis lucem et spem magnam totius mundi, et abitis cum eo et nos ab eo privatis, quum magna gratia digni fuimus ut nobis crederetur et simus ministri in incrementum corporis eius qui apparuit in domo nostra; et ecce nunc videmus eum vobiscum abeuntem. — Et diximus ei: Mulier benedicta inter mulieres, beatissima Maria, quae caritate digna fuisti suscipere foetum Spiritus in auditu tuo casto, et parere filium vitae verbi aeterni, quae digna habita es vocari eius mater, ecce nunc filius tuus gloriosus intra te est; ecce in domo manet tibi, quanquam a nobis non discedat, sicut ipse nobis dixit; quia donum est magnum vitae quod per partum tuum datum est omnibus, et mysterium absconditum * antea in * p. 81. Patre omnium, per partum tuum nobis revelatum est, et apparuit thesaurus vitae qui servatus erat cunctis Gentibus; non tui ipsius solius fuit donum hoc magnum et lumen vitae, sed omnium supernorum et infernorum. Leva oculos tuos et vide: in universa creatione est et illuminat totam plenam mysteriis eius gloriosis. Ecce apparuit mundo in carne; etiam formae eius cum eo ubique videntur, quia in vitam et salutem omnium hominum missus est a maiestate eius.

Et reversi sunt Ioseph et Maria, laetantes de his omnibus quae audiverant circa filium sanctum, et abierunt in domum eorum, et ingressa Maria invenit filium lucis subridentem et celebrantem omnia mysteria magna et mirabilia quae in universo mundo de eo praedicantur ab antiquo tempore: et ecce perficiuntur in visione hodierna; celebrat et laudat Patrem eius qui misit eum in salutem creaturarum suarum; et adoravit eum Maria, etiam Iosephus, et dixit ei: Gavisa sum quod vidi thesaurum vitae, et lumen meum, prolem sanctam auditus aurium mearum, aperientem vulvam meam eius amore sancto, dominum sanctae virginitatis meae. Gavisa sum valde quod inveni in domo mea thesaurum meum magnum quem genui et lumen meum magnum quod est aeternum; quia putaveram, dilecte mi, quod Orientales te abstulerunt propter magnum amorem tuum erga eos, pro muneribus quae de tuis obtulerunt tibi; nam vidi formam tuam sanctam cum eis abeuntem. — Et respondit suavi et humili voce, et dixit Mariae: Pax tibi, mater mea et nutrix mea, quae digna fuisti benedictam

esse inter mulieres, quia meruisti fructum vocis vitae. Quia suscepisti me et concepisti me amore in mente tua et fide inte-
* p. 82. gra, mercedem ministerii tui recipies, et erit * tibi beatitudo et memoria in omnibus generationibus, et in mundo novo accipies mercedem bonam, et propter te erit spes et vita Hevae et filiis eius; quia in persona tua amovi lanceam quae defendebat arborem vitae, et in te facta est quies et pax universis, iam et in aeternum. Amen. Ego enim qui apparui in domo vestra ut perficerem voluntatem Patris qui misit me veni, et quicunque audit me et credit, vivet. Ministerium tuum ecce perfecte adimplevisti sine macula, ut ex eo retributionem bonam reciperes. Itaque me verto ad omnes fratres meos qui sunt in universo mundo, ut quidquid mandavit mihi Pater tradam fidelibus meis perfecte, ut dant fructus vitae aeternae; et ego etiam dabo eis omnes promissiones Patris mei, quae per me perficientur et dabuntur et tradentur fidelibus meis et cuicumque in me credituro.

Et quando pervenimus ad primam mansionem, rursum signum lucis coram nobis apparuit, et valde gavisi sumus et exultavimus; et illud adoravimus in terram coram eo prostrati. Et glorificavimus visionem. Et voce nostra simul respondentes diximus ei: Adoramus et laudamus benignitatem tuam et lumen tuum quod ubique comitatur castra nostra. — Illud respondit et dixit nobis: Ego ubique sum et non est locus in quo non sim; etiam ubi reliquistis me sum; maius enim sole sum, et non est locus in mundo qui eo privetur, quanquam unus est; et si se subduxerit e mundo sedebunt omnes eius habitatores in tenebris: quanto magis ego qui dominus sum
* p. 83. solis, et lux mea et verbum meum [multo] praestantiora sunt solo. — Et respondentes diximus coram eo: Haec omnia, * lux nostra et vivificator noster, scimus et firma sunt nobis. Credimus omnia prodigia quae vidimus, cum omnibus fidelibus tuis, respectu maiestatis tuae minora esse, nobis autem gravissima, et non valet os ea enuntiare et laudare singula. — Et cum esset hora caenae eduximus, ut recrearemur, viatica nostra et vidimus viatica abundantiora esse quam haec quae adduximus nobiscum e patria, cum veniremus. Tunc magis timuimus, dum laudamus maiestatem eius qui nobiscum erat

et non privavit debilitatem nostram. Et postquam caenavimus in pernoctatione ex hoc victu, gaudium et glorificationem loquebatur unusquisque nostrum. Quasi fons vomens aquas abundantes, ita visiones et prodigia incomparabilia unus alteri narrabamus, et laudabamus ducem nostrum et gubernatorem nostrum et lumen castrorum nostrorum, et formas multiplices et vestimenta eius gloriosa, et figuras eius praeclaras et imagines eius perfectas apud nos; et per cunctas mansiones nostras sub signis eius gloriosis gradiebamur donec pervenimus in fines nostros.

Et egressi sunt omnes gentes nostrae et filii nostri et multi ex civibus loci nostri obviam nobis. Et cum audirent nos advenire, nobis occurrerunt in gaudio magno et nos susceperunt gaudentes, exultantes et glorificantes. Et mirabantur adspectum nostrum et valetudinem totius comitatus nostri.

Et postquam ingressi sumus penes eos, congregati sunt et venerunt ad nos. Et coepimus eis dicere et narrare qualis fuerit adscensus noster, visiones mirabiles quae nos comitabantur, ingressum nostrum Ierusalem et quidquid *ibi* locuti sunt nobiscum; et profectum nostrum Bethlehem, et visiones ac revelationes gloriosas Patris altissimae maiestatis, quae manifestatae
sunt nobis in spelunca: *lucem magnam et adspectus mira- * p. 84.
biles in membris hominis humilis; et lucem stellae quae ibat ante nos quasi ductor gloriosus; et quomodo ingredientes vidimus ante nos gloriam ineffabilem, et cecidimus et adoravimus divinam nativitatem magnae lucis, dum stant duo angeli et stat columna nubium; et quomodo omnes visiones quas antea vidimus in monte Triumphorum, in Spelunca Thesaurorum mysteriorum absconditorum, quae est in patria nostra, in hac spelunca revera adimpletae sunt; etiam formas et vestimenta huius nati gloriosi et divini qui apparuit nobis in spelunca Bethlehem, et nos edocuit dicens: Ecce complentur omnia mysteria, et parabolae et similitudines et revelationes et quidquid de me dictum est in prophetis et in toto orbe a prima die usque hodie; iam voluntas eius qui misit me in me perficietur quoad omnia quae misit me adimplere. Et obtulimus ei munera quae sumpsimus e Spelunca Thesaurorum, quae de *donis* ipsius a patribus nostris deposita erant; et adoratione adoravimus

Dominum; et aperuit os suum pulcrum et gloriosum, et locutus est nobiscum suaviter; prout capaces eramus eum audiendi, ita seminavit in nobis verbum vitae, et nobis locutus est et nobis revelavit de loco vitae, et de regno sublimi Patris maiestatis, Domini Universi, qui misit eum in remedium mundorum ut sanaret morbum eorum, quia sanari non potuerunt ab aliquo prophetarum antiquorum, sed tantum per voluntatem filii amoris perfecti; et dimisit nos ut rediremus in pace ad locum nostrum. Et quando pervenimus ad primam mansionem, postquam gavisi sumus et exultavimus per totam viam, rursum invenimus ducem nostrum et lumen nostrum cum omnibus formis eius quas vidimus coram nobis: et commoti valde timui-
* p. 85. mus, dum * adoramus et glorificamus eius maiestatem quae comitatur castra nostra; et etiam viatica implent vasa nostra et abundant ex benedictionibus eius, et maiora fiunt viaticis quae sumpsimus nobiscum cum egressi sumus in iter; et ecce coram oculis vestris vasa nostra posita plena et abundantia ex eis, virtute benedictionum eius qui nobiscum mansit, ut firma sint vobis et credatis visiones et prodigia quae vidimus; ut mereatis etiam vos esse ei fideles et electos, et commoretur etiam vobiscum eius virtus magna et eius revelationes; quia etiam hic apud nos revera est, sicut dixit nobis, et credimus quod lumen eius non remotum e castris nostris etiam in toto mundo est; lumen enim est quod omnia valet illuminare amore suo perfecto. Sumat, sine haesitatione in corde perfecto et in firma fide, quisquis vult et manducet ex his viaticis quae nobiscum advenerunt; et digni estote etiam vos participandi benedictioni eius quae nos comitatur et nobiscum est in aeternum.

Et quidam eorum, gaudentes susceperunt cum amore ex his viaticis et comederunt, et coeperunt gaudere et exultare dum glorificabant et dicebant alter alteri quidquid revelatum est eis. Fuit ex eis qui diceret: Vidi eo momento quo comedi ex his viaticis lucem magnam quae similem non habet in mundo. Alius dicit: Vidi Deum seipsum generantem in mundo prout voluit. Alius dicit: Vidi stellam lucis quae splendore suo solem obscurabat. Alius dicit: Vidi hominem cuius adspectus deformior est adspectu virili, et vivificat et purificat mundum sanguine suo, et adspectu suo humili. Alius dicit: Vidi quasi

agnum suspensum ligno vitae, cuius sangine fiet salus universis mundi creaturis. * Alius dicit: Vidi columnam lucis * p. 86. quae penetrat in sinu terrae, et mortuos obviam ei surgentes eamque cum gaudio magno adorantes ac glorificantes. Et plura alia his maiora dicebant alter alteri, qui comederant ex his viaticis; et glorificationem multam de die in diem mens eorum proferebat. Et fuit gaudium magnum in tota regione Orientis; et simul congregabantur in amore Domini nostri optimates et pauperes, mulieres et pueri, ex tota regione apud magnates qui Magi vocati sunt; et veniebant ab eis discere doctrinam novam et laudabilem, mysteria et revelationes et quidquid eis dictum est a primo die quo exierunt e regione sua usque dum cum gaudio redierunt; et de die in diem revelationes et visiones eis augebantur, et omnes species praestantes, et multiplicata est fides amore testimonii Domini nostri Iesu Christi ob prodigia quae per eos operabatur natus lucis qui apparuit eis, donec in omnibus perfecerit voluntatem eius qui eum misit, et adscenderit cum gloria in priorem locum celsissimum sedis suae. Et multiplicata est fides vitae in regione Orientis in eis qui audiebant.

Et quando illuc descendit Iudas Thomas, voluntate Domini nostri qui misit illum, tum magis aucta est fides in eis qui audiebant, per virtutes multas et signa quae ibi faciebat Iudas Thomas, Domini nostri apostolus. Et cum audivissent magnates * Iudam illuc advenisse, ut eis praedixerat lumen quod * p. 87. apparuit eis, congregati sunt et venerunt apud eum, ut cum eo in oratione et fide communicarent. Et salutaverunt Iudam in caritate perfecta, gaudentes in Domino nostro; et etiam Iudas in eis valde gavisus est. Et cum essent apud eum per dies, narraverunt Iudae quomodo digni habiti sunt recipere a prima die hoc donum lucis mundi, et adscensum suum ad ipsam in Bethlehem, et quidquid eis dictum fuit, et revelationes ac visiones quas ibi viderunt in spelunca, et quomodo in reditu eorum comitabatur eos lumine suo in tota castra *diffuso* inter visiones et revelationes multiplices. Et cum sciret Iudas apostolus donum Domini nostri in eos effusum esse, ipse narravit eis de vivificatore nostro, dum congregati sunt simul omnes fratres, et de virtutibus, sanationibus et portentis

quae operatus est in oculis apostolorum suorum, et de formis imaginum eius, et de figura eius admirabili, quas enarrare non valemus, qui nobis continuo apparebat, ita ut miraremur in eum et staremus in effusione et ambiguitate mentis, eo quod a diebus mundi nemini fuit talis visio. Et postquam audiverunt omnes fratres quod narravit eis Iudas, omnes una voce glorificaverunt Dominum altissimae maiestatis per filium eius, fautorem vitae perfectae. Et rogaverunt Iudam, apostolum Domini nostri, ut eos secum participes faceret in signo Domini nostri. Et dixit Iudas: Fratres, etiam ego gavisus sum quod propter hoc donum in vitam missus sum; nam in eum qui credit in vitam et cum amore accipit revera signum Domini mei Iesu
* p. 88. * Christi, non dominabitur inimicus. — Nocte autem quae lucescit in dominicam duxit Iudas fratres qui eum rogaverunt, gaudentes, ut et ipsi reciperent signum Domini nostri. Et egressus est versus fontem aquarum, et tulit secum oleum, et illud consecravit[1] dicens: Laudamus te, mysterium vitae, quod nobis gratia datum est in oleo ad unctionem. Tibi gloria, mysterium absconditum quod nobis gratia in oleo datum est in vitam ad unctionem. Tibi gloria, mysterium absconditum, quod in oleo nobis datum est in vitam et in propitiationem, quod illuminat nos et avertit a nobis tenebras et errorem, mysterium per quod inimicos suos vincunt athletae certaminis. Tibi gloria, mysterium olei, quod participationem cum Christo habere meruisti, in quo victores in certamine coronantur, et quod cum Spiritu consociatum es, et etiam volitans super aquas, quasi uxor eius, Spiritus[2] sanctus se iungit cum intellectu et renovat corpus in generatione vitae. Veni, consors primogeniti; veni, renovator hominum per generationem in vitam aeternam; incumbe his fidelibus, dilectis Domini nostri Iesu Christi, et sanctifica eos ac munda eos ab omni macula corporis eorum, et fiant tibi templa in habitationem tuam, et oblectamentum filio amoris perfecti, et consecra eos perfecte in generatione vitae. — Et baptizavit eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Et cum omnes ab aquis adscenderent, apparuit eis puer quidam

[1] Ad litt.: « super illud laudavit ». — [2] Syriace vox Spiritus est femin. generis.

celsissimae lucis qui descendit de caelis et dixit eis: Pax vobiscum, * filii omnium mysteriorum; ecce in generatione vestra * p. 89.
hodierna completae sunt omnes visiones et revelationes quas vidistis a prima die. — Et timuerunt et ceciderunt in terram. Et postquam surrexerunt, apparuit eis figura iuvenis gloriosi et divini; et sumpto pane integro, laudavit et fregit deditque primum Iudae apostolo, dein singulis eorum, et dixit eis: Ecce complementum et signum vestrae generationis in vitam; deinceps et in aeternum firmi estote in consiliis meis. — Et cum se subduceret a visu eorum, tum viderunt eum adscendentem in caelum cum gloria infinita. Et dixit Iudas: Laudamus maiestatem tuam benignam, et singularitatem tuam personis pluralem, et imagines tuas gloriosas quas nobis ostendisti, et vestimentum quod pro nobis induisti, ut nos maiestatem tuam praestantem indueremus, et tot nomina quibus nominatus es, quanquam nullum eorum sit tuum: tu enim solus cognoscis nomen tuum et maiestatem tuam, et Pater tuus, sed nemo alius; et omnes species quas induisti et in quibus apparuisti propter nos, ut te cognosceremus, quia dilexisti nos in misericordiis tuis plurimis erga nos; et quidquid tibi inflixerunt crucifixores sustinuisti propter nos, quanquam sis omnibus passionibus eminentior et congener eius qui impassibilis est, ut nobis sit salus per gratiam tuam, et propter nos omnia sustinuisti et omnia tolerasti; tu enim es consolator noster, et dux noster, et lux nostra, et vivificator noster; et quia in te credidimus, omnia per te nobis sunt, et perfecte nobis dedisti in fiducia tui amoris erga nos, qui omnia sustinuisti propter nos.

Et responderunt omnes discipuli novi Verbi vitae et dixerunt cum magno gaudio: Glorificamus, adoramus et laudamus * maiestatem tuam ineffabilem ori humano, nam debiles sumus * p. 90.
eius respectu, et lumen tuum magnum quod oriri fecisti super debilitatem nostram; quia in misericordia tua nos dignos fecisti consortii tui in vita aeterna. — Et cum multum delectarentur in confessione, in oratione et in visionibus Domini nostri, multitudo fratrum de die in diem crescebat in fide. Et dixit eis Iudas: Fratres, iam adimpleamus praeceptum Domini nostri qui nobis dixit: Exi in universum mundum et praedica evangelium meum. Iam, fratres, estote vos praecones

verbi, sicut nos. Quia vos quoque recepistis donum Domini nostri, exite et vos in omnem locum et praedicate donum lucis nostrae et vivificatoris nostri omnibus sine invidia. — Et exierunt inde in omnem locum, et praedicabant in amore perfecto adventum Domini nostri Iesu Christi filii Domini Universi. Faciebant etiam ipsi in nomine Domini nostri virtutes et sanationes ori humano ineffabiles, per Spiritum sanctum qui in eos effusus est in dono Domini nostri; et praedicabant fidem veram; dicebant et docebant omnes: Recedite a tenebris et venite ad lucem indeficientem, ut vivatis et protegamini sub alis Domini nostri Iesu, vivificatoris nostri, et refugii nostri validi in die ultima, prae iudicio terribili ignis qui veniet subito ut purificaret universam terram ab errore qui per corruptionem suam in eam regnabat, utque liberaremini per fidem ab incendio ignis, et intraretis in requiem, omnibus electis et fidelibus qui crediderunt in filium lucis perfectae et in vitam aeternam, paratam in regno Domini Iesu Christi filii Domini omnipotentis in maiestate suprema, in mundo eius
*p. 91. novo, et in luce eius sublimi, magna et *in aeternum indeficienti, et in requie eius gloriosa; et ut requiem habeatis in saecula saeculorum. Amen et amen.

Explicit narratio de Magis et de eorum muneribus.

Anno 2019° Abrahami, Herodes infantes Bethlehemi propter Christum interfecit.

Anno 2020°, cum interfecisset Herodes infantes Bethlehem a bimatu et infra, prout ei dixerunt Magi, sperans Christum cum eis interfectum iri, tunc attigit eum decretum iudicii divini quod eum et opera eius decebat. Et primum correptus est febri quae exterius non manifestabat aestum suum, quantum interius augebatur tormentum eius; etiam cibum sumere recusabat, quia alvus eius non solvebatur. Ulcus et dolor acerbus erant in visceribus eius, et tumor humidus in pedibus eius; gremium eius putuit et vermibus scaturivit; anhelitus contentio eum opprimebat, etiam exhalatione foetida et affligente molestabatur; et dolores graves undique cruciabant eum, et vim tolerandi non habebat; prodidit eum Deus in dolores varios. Is vero cum torqueretur omnibus suis doloribus, etiam vivere contendebat et ad sanationem et liberationem sui cor-

poris attendebat. Profectus est itaque ut se lavaret in thermis quae sunt Callirrohe, quarum aquae exeunt in lacum Asphalitem. Et cum esset * ibi, voluerunt medici lavare corpus eius * p. 92. in oleo, et cum mergeretur in vase olei pleno, penitus dissolutus est et convulsi sunt oculi eius; et commotio magna orta est inter servos eius. In dolore quidem perseveravit, de vita autem desperabat. Inde Ierichuntem reversus est; et exaltatus minabatur *sibi* [1] mortem; et praevaluit in machinatione actionis pessimae.

Congregavit e singulis pagis Iudaeorum omnes notos et viros nobiles in locum qui vocatur Hippodromus [2]; et iussit eos includi; et convocatis Salome, sorore sua, et Alexo eius marito, dixit eis: Scio Iudaeis magnum festum fore diem mortis meae, sed possum mihi luctum per alios et funus parare, si vultis mandatum meum adimplere. In hos homines, qui inclusi sunt, statim ac mortuus fuero, mittite viros qui occidant illos, et etiam inviti super me luctum agent *Iudaei*. Et cum gravi dolore tussis lacessaretur voluit se ipsum occidere; sumpsit malum et petiit cultrum: consueverat enim ita dissecare et comedere; et postquam surrexit ut videret num quis adsit qui eum impediret, sustulit dexteram ut se ipsum interficeret. Et etiam paullo ante tempus suae mortis, praeter duos filios suos quos occiderat, etiam tertium interfecit. Et sic in acerbis doloribus mortuus est; et exinde vidit tormentum ei reservatum.

Summi sacerdotes noscuntur diebus Christi hi: Ḥananus [3], et post eum Ismael filius Phabi [3], et post eum Eliezer filius Ḥanani, et post eum Caiphas, qui est Iosephus scriptor; is erat summus sacerdos diebus passionis; et vixit etiam usque ad eversionem Ierusalem.

Post Herodem, rex fuit Iudaeorum, Archelaus, annos * no- * p. 93. vem.

Hoc tempore innotuit Iudas Galilaeus, qui memoratur in Actis apostolorum [4]; postquam decepit et abduxit in desertum

[1] Sic e locis parallelis interpretandum ex Fl. Ios. — [2] Ad litt.: « domus cursus equorum ». — [3] Ἄνανος. Φαβί. (Fl. Ios., *Ant. Iud.*, XVIII, II, 2). — [4] *Act. Apost.*, v, 37.

multos homines, voluit ingredi Ierusalem, Messiae instar qui in Scripturis expectabatur, et accessit ad montem Olivarum, secum habens magnum exercitum; contra eum processit Romanorum exercitus, et occiderunt eum; totus eius exercitus dissipatus est et periit.

Anno 2022°, fuit fames dura, magna et gravis Romae et in omnibus regionibus Occidentis, adeo ut deficeret triticum et hordeum ab hac terra; et venumdabatur modius tritici in mensura metrica [1] (denarios) MXXXVII et dimidium.

Anno 2024°, Edessae regnavit Abgarus Niger (Uchama), qui expulsus fuerat, annos XXXVII et mensem unum.

Anno 2029°, rex Archelaus missus est Viennam in urbem Galliae [2], et eius loco tetrarcha factus est Herodes, annos XXIV.

Et eo anno mortuus est Augustus, qui regnavit annos LVI et VI menses. — Et regnavit post eum Tiberius, annos XXIII.

Anno 2034°, fuit terrae motus magnus et vehemens in regione Asiae, vastavit et evertit pagos et civitates, et incolas in medio earum perdidit et compressit quasi uvas in eodem tor-
*p. 94. culari perditionis. * Eversae sunt et perierunt in eo civitates XIII: Ephesus, Magnesia, Sardes, Mosthene, Aegae, Hierocaesarea, Philadelphia, Tmolus, Tomus [3], Cumae, Myrina, Apollonia, Hyrcania. Hae omnes vastatae sunt in hac castigatione, propter peccata sua, et perierunt omnis aetatis et omnis gradus incolae.

Et eodem anno, theatrum Pompei incendio consumptum est.

Anno 2040°, aedificavit Philippus Caesaream urbem; et aedificavit rursum aliam civitatem Iuliadem.

Anno 2043°, Pilatus procurator in Iudaeam missus est.

Anno 2044°, condidit Herodes Tiberiadem civitatem, quam *ita* appellavit ut honorem deferret Caesari Tiberio. Condidit etiam Liviadem civitatem.

Et eodem anno, Iohannes filius Zachariae, in deserto ad latus Iordanis fluvii praedicabat, annuntians omnibus Messiam Dei filium in medio eorum adesse; et ipse Iesus ab hoc tempore coepit opus salutare evangelii, cum verbis et operibus, eis qui vident, veritatem divinae potentiae ostendens.

[1] Sensus obscurus. — [2] Ms.: *Galatiae*; (*Sync.*: Βιένναν πόλιν Γαλατίας). — [3] *Sync.*: Τύμος.

Herodes sumpsit Herodiadem, uxorem fratris sui Philippi adhuc viventis, et sprevit uxorem suam priorem legitimam, quae filia erat Aretae regis Petraeorum. Herodiadem quidem separavit a marito eius adhuc vivente: propter quam ortum est bellum inter Herodem et regem Aretam, eo quod huius filia contempta est. Hoc autem bello totus exercitus Herodis occisus est. Et quia redarguebatur iterum a Iohanne Baptista, * ne * p. 95. sumat uxorem fratris sui; et cum audiret verba Iohannis, Herodes timuit, cum videret totum populum huic adhaerere, qui magnos conventus faciebat sermone praepotente apud homines. Timuit ne forte hoc negotium in rebellionem deveniret. Vidit enim omnia verbo et mandato Iohannis agi, et secum reputavit multo praestantius ut praeveniatur et occidatur antequam per eum eveniat rerum mutatio, quam postea ipsum poeniteat ob conversionem ad Iohannes. Et propter hanc Herodis suspicionem, Iohannes vinctus missus est in carcerem qui Machaerus vocatur, et ibi occisus est. Et postea pulsi sunt Herodes et Herodias, et extra fines missi sunt Viennam civitatem in exsilium, et ibi recepit Herodes paenam suis operibus congruentem.

Colliguntur anni a secunda dedicatione templi Ierusalem, quae facta est anno secundo Darii regis Persarum, ad hunc annum foederis, qui est annus quintodecimus regni Tiberii, anni DLXLVII; — et a Salomone et prima aedificatione templi, anni MLXI; — a Moyse autem et exitu ex Aegypto, anni MDXLI; — ab Abrahamo et a regno Nini et Semiramidis, anni MMXLIV. — A diluvio ad Abrahamum *sunt anni* DCCCCXLII, et ab Adamo ad dilivium anni MMCCXLII.

Anno 2046°, Abgarus rex Edessae epistulam misit ad Christum in regionem Ierusalem.

* Anno 2049° Abrahami patris Gentium, et Alexandri filii * p. 96. Philippi Macedonis anno 342°, Iesus Christus, secundum prophetias de eo, ad passionem accessit; anno 19° regni Tiberii.

Hoc autem tempore etiam in aliis hypomnematis Graecorum invenimus scripta esse haec singula: Sol defecit, Bithynia commota est, Nicaeae pars magna ruit; et testata sunt quae tempore Salvatoris nostri acciderunt. Scripsit autem Phlegon, qui descripsit Olympiades, de eisdem rebus, in libro decimo tertio

hunc in modum: Anno 4° olympiadis CCII^ae fuit eclipsis solis per longum tempus, praestantior illis quae antea fuerant; et nox hora sexta diei facta est, ita ut stellae in caelo apparerent; et fuit terrae motus magnus in Bithynia, qui magnam partem Nicaeae evertit. Haec vir iste, quem commemoravimus, dixit [1].

Eo anno passum esse Salvatorem nostrum signum est testimonium Iohannis, datum anno 15° Tiberii: tempus tradendae doctrinae Domini nostri trium annorum fuisse, testatur.

De hisce temporibus etiam Iosephus scripsit [2]: Die Pentecostes perturbatione et commotione magna perculsi sunt sacerdotes; et postea vox valida ex interiore templo audita est, quae dixerit: Hinc nobis migrandum est [2]. — Et aliud scripsit idem Iosephus: Pilatus praeses eo tempore imaginem Caesaris noctu in templo statuit: quod facere nefas erat, et primordium perturbationis et seditionis iniecit Iudaeis [3]. — Et velum templi scissum est; et mortui plures e sepulcris surrexerunt et multis apparuerunt.

* p. 97. * Ἐκ τῶν CIRCA PASSIONEM ET IUDICIUM DOMINI NOSTRI. — Avitus Leontius Licinio Sperato [4], salutem. — Sicut postulasti a me, per protonotarium (?) [5] meum, ut disceres quae facta sunt in iudicio adversus Iesum Messiam, cura fuit mihi omnia quae gesta sunt in praetorio et pro tribunali scribendi et ad te mittendi, ego igitur a te peto ut etiam tu mihi retribuas. Dixit enim mihi protonotarius (?) quod arcessisti quosdam e discipulis Iesu, et plura de ipso tradiderunt tibi, et apud te sunt. — Scito ergo summos sacerdotes et scribas populi Iudaeorum Iesu invidos fuisse, maxime ob homines qui resurrexerant; et apprehenderunt Iesum et adduxerunt ad dominum Pilatum; et tanquam virum blasphematorem, legum trangressorem, et dignum morte exhibebant eum multaque adversus eum dicebant. Cum autem novisset Pilatus eum Galilaeum esse et sub potestate Herodis, misit eum ad Herodem: ibi enim, Hierosolymis, erat, quia festus erat Azymorum. Ipse Herodes, post-

[1] Eus. *Can.*, II (apud Maïum, p. 370). — [2] *Bell. Iud.*, VI, v, 3. — [3] Cf. *Antiq. Iud.* XVIII, IV; *Bell. Iud.*, II, IX. (Maïus, p. 370). — [4] LIQINS. Fortasse Λικιανός quem commemorat *Paradosis Pilati* (ed. Tischendorf, p. 453). — [5] PRTUNTUS. Quin legamus *Fortunatus*, obstare videtur apodosis « meus ».

quam audivit calumniam sacerdotum et pharisaeorum, illum remisit ad Pilatum, et huic mandavit: Quae dicuntur de isto viro multa sunt; quoniam vero qui accusant eum cives sunt Hierosolimitani, viri sub potestate tua ...[1].

Anno 2066° Abrahami, fuit Romae fames dura, et multi in ea perierunt.

Anno 2067°, mortuus est Maᶜnu, filius Abgari, * rex Edessae, et regnavit Maᶜnu, frater eius, annos XIV. *p. 98.

Anno 2070°, mortuus est Claudius rex Romanorum, et regnavit eius loco Nero, annos XIII et menses VIII. Nero autem in suo imperio ad multa mala declinaverat, et contra religionem arma sumpsit. Ut autem describeremus quanta erat eius malitia tempus nobis deest. Ceteroquin multi de eo accurate scripserunt et qui cupit ab eis discere potest amentiam huius viri, qui indiscriminatim myriades hominum perire fecit, et ad hanc abominationem caedis devenit ut ne a caede quidem domesticorum et proximorum abstineret. Matrem enim eius, et fratres eius, et uxores, et multos e prosapia sua perire fecit, et quasi osores et inimicos, omni mortis genere necavit eos.

Anno 2084°, Romae martyrium passus est sanctus Paulus, cui caput gladio amputatum est. Eodem anno, martyrium passus est etiam Petrus, princeps Apostolorum, qui crucifixus est inverso capite. Permanserunt post Christum annos XXXV.

Anno 20[7]1°[2], diebus Neronis, cum esset Felix procurator Iudaeae, contentiones et perturbationes ortas esse inter sacerdotes refert Iosephus. Ita scribit in sua narratione[3]: Exarsit discordia summorum sacerdotum erga sacerdotes et principes Ierusalem; et unusquisque eorum constituebat sibi turbam arrogantium et perturbatorum, et fiebat eorum caput. Et cum infesti essent unus alteri, in invicem verba prava proferebant, et lapides proiciebant, * et nemo erat qui eos redargueret. Similis erat [Ierusalem] civitati quae non habet gubernatorem. — Rursum his temporibus apparuit genus quoddam latronum, qui interdiu, media in urbe, eos quibus offendebant, occidebant. *p. 99.

1 Deperdito saltem uno folio, reliqua desiderantur. — 2 Ms. 2001. — 3 Cf. *Ant. Iud.*, XX, VIII (ed. Dindorf [Didot]), II, p. 784). — 4 Cf. *Ant. Iud.*, II, XIII (ed. Dindorf, II, p. 108).

Diebus praesertim festivis se immiscebant turbis, abscondentes gladios sub vestes, quibus notos homines transfigebant, et simul ac hi ceciderunt ipsi inter eos adstabant qui adversus homicidas vociferabant. Et ob hanc simulationem non dignoscebantur. Primum occisus fuit Ionathan summus sacerdos, et post eum multi quotidie interfecti sunt. Timor peior ipso dolore erat perpetuus, et unusquisque quasi in bello mortem exspectabat.

Anno 2072°, Iudaei seditionem Caesareae fecerunt; et multi eorum perierunt.

Anno 2075°, Felix e Iudaea revocatus est, et in locum eius procurator venit Festus.

Anno 2076°, Paulus Romam vinctus missus est prima vice.

Anno 2077°, martyrium passus est sanctus Iacobus frater Domini nostri, qui fuit primus episcopus ecclesiae Ierusalem.

Iudaei autem, cum Paulus Caesarem appellavisset et Romam a Festo missus esset, deiecti sunt a consilio maligno quod in eum meditabantur, *et* in Iacobum, fratrem Domini nostri, se converterunt, qui ab Apostolis sedem episcopalem Ierusalem acceperat. Impudentia eorum adversus eum haec fuit. Addu-
* p. 100. xerunt eum * in medium, et urgebant eum ut abnegaret fidem Christi coram tota turba. Is autem, praeter omnium voluntatem et exspectationem, alta voce coram universo populo ingenue confessus est Filium Dei esse Dominum nostrum Iesum Christum. Et cum non possent tolerare testimonium eius, quia ab omnibus reputabatur vir iustus, propter perfectionem operum sapientiae suae et timorem Dei qui in eo erat, tempus opportunum invenerunt, quia Festus in Iudaea mortuus erat et gubernatorem non habebant eo tempore, et sine duce aut rectore erat administratio loci.

A tempore autem Domini nostri usque adhuc regebat ecclesiam Ierusalem Iacobus frater Domini nostri, qui Iustus ab omnibus appellabatur, eo quod plures erant eo tempore qui Iacobus vocabantur. Is autem a sinu matris sanctus erat; vinum et siceram non bibit, et quidquam animatum non comedit; novacula in caput eius non adscendit; oleo unctus non est; nec balneo usus est. Huic soli licebat in sanctum sanctorum ingredi; neque lana vestitus erat sed sindone; solus in tem-

plum intrabat, et inveniebant eum flexis genibus, propitiationem pro populo petentem, adeo ut indurata erant genua eius quasi cameli, quia constanter genua flectebat, Deum adorabat, et remissionem pro populo petebat. Et propter excellentiam iustitiae eius vocabatur iustus, et murus populi, et iustitiam quasi iustitiam prophetarum ei tribuebant. Quidam ex illis haeresibus septem, quae apud Iudaeos erant, interrogabant eum: qualis sit aditus Iesu? Is * autem dixit eis eum esse * p. 101. Salvatorem; et quidam eorum crediderunt Iesum esse Christum. Hae autem praedictae haereses non credebant, neque eum resurrexisse a mortuis neque venturum esse ut cuique retribuat secundum opera eius; qui autem crediderunt, propter Iacobum crediderunt.

Cum autem multi e principibus populi crederent, tumultus ortus est inter Iudaeos, Scribas et Pharisaeos, et dicebant: Urgetur ab eo universus populus ut exspectet Iesum Messiam. Convenerunt igitur et dicunt Iacobo: Rogamus te, ut retineas populum, quia aberravit post Iesum quasi sit Christus. Rogamus te, de Iesu sermonem habeas cum omnibus qui ad diem Paschae venerunt. Tibi enim omnes obtemperabimus. Nos enim et universus populus testes sumus te esse iustum neque personarum acceptionem facere. Tu igitur, suade huic turbae ne aberrent propter Iesum. Omnis enim populus et nos omnes tibi obtemperabimus. Surge itaque super pinnaculum templi ut sis omnibus conspicuus, et audiri possint verba tua ab omni populo. Nam propter Pascha omnes tribus cum gentibus venerant. Et statuerunt eum super pinnaculum templi Scribae et Pharisaei. Et clamaverunt eique dixerunt: Iuste, decet ut nos omnes tibi obtemperaremus. Quia populus aberrat post Iesum qui crucifixus est, dic nobis qualis sit aditus Iesu. — Et respondit alta voce dicens: Quid interrogatis me de filio hominis? Sedet ad dexteram altae potentiae et venturus est super nubes caeli. — Et quidem plures confirmati erant et glorificabant testimonium Iacobi, dicentes: Hosanna filio David! — Tunc * iterum sibi mutuo dicebant Scribae et Pharisaei: Male feci- * p. 102. mus, quod dedimus Iesu tale testimonium; sed adscendamus et proiciamus eum, ut timeant et non credant in eum. — Et vociferati sunt dicentes: O, o, iustus aberravit. — Et compleve-

runt quod scriptum est (apud Isaïam: Tollamus iustum)[1], quia inutile nobis est; nunc opus manuum eorum comedetur[2] adscenderunt itaque et praecipitaverunt iustum, et dicebant sibi invicem: Lapidemus iustum Iacobum. — Et coeperunt lapidare eum, quia cum cecidisset non mortuus fuerat; sed conversus in genua procumbit et dixit: Rogo te, Domine Deus, dimitte illis; nesciunt enim quid faciunt. — Et dum ita lapidabant eum, unus e sacerdotibus e Rechabitis, filius Rechabim, ex illis de quibus testimonium protulit Ieremias propheta[3], clamavit et dixit: Cessate; quid facitis? pro vobis preces precatur iustus! — Et sumpsit unus eorum a fullone lignum quo vestes comprimebat, et eo percussit caput iusti: et ita martyrium perfecit. Et sepeliverunt eum ipso loco, prope templum.

Fuit autem post eum episcopus Ierusalem Simeon filius Cleophae, fratris Iosephi sponsi Mariae, et patris Iacobi. Is Simeon, qui Simon vocatus est, factus est rector Ierusalem post Iacobum filium patrui sui.

Anno 2078°, mortuus est sanctus Marcus episcopus Alexandriae, et eius loco fuit Anianus.

Anno 2080°, fuit terrae motus magnus et terribilis, quo ruerunt in regione Asiae civitates tres: Laodicaea, Hierapolis et Colossae.

* p. 103. Eo tempore rebellionem fecit populus * Iudaeorum. Rursum mala quae invaserunt populum Iudaeorum narrat Iosephus qui sermone suo *haec*, cum multis aliis, exponit: Multi ex honoratissimis Iudaeorum virgis caesi sunt Ierusalem, et inverso capite cruci affixi sunt, iubente Floro, qui fuit procurator Iudaeae cum initium belli oriretur, anno 12° imperii Neronis; et in tota Syria, ob seditionem a Iudaeis excitatam, crudelis agitatio attigit eorum concives qui ubique ab incolis civitatum, sine misericordia, quasi in bello trucidabantur. Quisque videre poterat urbes mortuorum cadaveribus plenas, insepultis et simul proiectis: pueris, senibus et mulieribus, quorum pudenda

[1] Complevimus ex Eusebii *Hist. eccl.*; alludit ad Is., v, 23 (LXX). — [2] τοίνυν τὰ γεννήματα τῶν ἔργων αὐτῶν φάγονται Cf. Eus., *Hist. eccl.*, II, xxiii. — [3] Alludit ad Ierem., xxxv.

non tegebantur. Et omnes provinciae calamitatibus inenarrabilibus plenae erant. Gravior erat comminatio tormentorum, et tamen facinora quotidie patrabantur. Haec Iudaeis accidisse propriis verbis ait Iosephus[1].

Anno 2081°, mortuus est Ma^{c}nu, rex Edessae, et regnum obtinuit Abgarus, filius Ma^{c}nu, annos xx.

Anno 2082° interfecit Nero omnes Romanorum proceres, propter testimonium Christi. Occidit autem etiam uxorem et tres filias suas et cum illis filios suos.

Anno 2083°, Paulus et Petrus martyrium Romae passi sunt.

Anno 2084°, ira Dei in Neronem venire coepit. Et eodem anno rebellavit populus Iudaeorum, et in eos venit Vespasianus, dux exercitus Romanorum, cum ingenti exercitu, et castra posuit ad Ierusalem. Et dum obsidet hanc, advenientibus undique Neroni malis nuntiis, is seipsum occidit * propriis manibus. * p. 104.

Anno 2085°, imperium obtinuerunt Galba et Otho. Exercitus autem Romanorum qui Ierusalem obsidebat, imperatorem creaverunt Vespasianum; is, relicto Tito eius filio, abiit ut imperii potiretur.

Anno 2086°, occisi sunt Galba et Otho, et regnavit Vespasianus. Dicit enim Iosephus[2] scriptor, qui est Caiphas, nam permansit in vita usque ad destructionem Ierusalem: Postquam Nero regnum occupavit annos XIII cum dimidio, et deinceps Galba et Otho annum cum dimidio, cum Vespasianus praeclare gessisset bellum iudaicum, in ipsa Iudaea, exercitus Romanorum qui illic erat, eum instituit ut sit rex et autocrator; et statim Tito filio suo bellum adversus Iudaeos commisit et ipse Romam profectus est.

Post adscensionem Domini nostri, praeter suam impudentiam erga eum, Iudaei etiam multas insidias adversus apostolos machinati sunt. Primum, Stephanum lapidibus interfecerunt; et post hunc caput amputaverunt filio Zebedaei Iacobo. Dein, Iacobo fratri Domini nostri et ceteris apostolis, variis modis insidias struxerunt ad mortem, et eos e regione Iudaeae expul-

1 Cf. *Ant. Iud.*, XX, XI; *Bell. Iud.*, II XIV-XVI, passim. — 2 Cf. *Bell. Iud.*, II; VI, passim. Eius narrationem sequentibus verbis contraxit EUSEB., *Hist. eccl.*, III, V.

erunt. Hi autem missi fuerant a Domino nostro ad gentiles ut eius nomine evangelium annunciarent; et etiam populus ecclesiae Hierosolymitanae, quasi revelatione viris inter eos praeclaris facta ante bellum, iussus fuerat e civitate exire, et abire ut habitarent in Peraea, in civitate quae Pella vocabatur, omnes qui credebant in Christum in urbe Hierosolymis, ita ut
* p. 105. ab ea deficerent viri *sancti*, et tunc veniat iudicium * divinae vindictae in hanc urbem regiam Iudaeorum et in totam regionem Iudaeae, propter ea quae ausi sunt adversus Christum et apostolos eius, ut totam progeniem impiorum ex hoc loco deleret. Quae autem mala acciderunt universo populo in quovis loco, quomodo incolae Iudaeae gravioribus suppliciis cruciati sunt, quot myriades hominum simul gladio, fame, multis cruciatibus mortiferis ceciderunt, captivitas abducta e multis civitatibus Iudaeae, quae mala gravissima viderunt in urbe Hierosolymis qui in eam aufugerant, ut in ea tanquam in urbe munita refugium haberent; varii adspectus totius belli et quidquid in eo singillatim accidit, et quomodo erectum est in fine signum abominandae vastationis, ut dictum est in propheta, contra hoc templum famosum, quod antea Dei templum erat, quomodo igne penitus consumptum est: qui vult haec discere accurate, ex historia quam scripsit Iosephus discere potest. Quemadmodum ostendit is Iosephus, ex tota Iudaea diebus Paschae confluxisse et, quasi in carcere ingressos, inclusos esse Hierosolymis circiter trecentas myriades hominum, debemus exponere. Decebat enim ut iis diebus quibus congregati ausi sunt saevire in salvatorem et benefactorem, Christum filium Dei, iisdem diebus quasi in carcere inclusi acciperent ruinam, iusto Dei iudicio.

Rursum de fame quae opprimebat Iudaeos[1] — Singula quae
* p. 106. Iudaeis acciderunt sive in gladio sive aliis modis omittam, * et solummodo de crudelibus tormentis quae eos fame attigerunt loquar, ut saltem breviter qui legunt hunc librum sciant paenam impudentiae eorum adversus Christum, a Deo in eos citius immissam fuisse. Sume itaque narrationem quintam Iosephi, et lege quid eis acciderit eo tempore. Ita loquitur[2]:

1 Ex Euseb., *Hist. eccl.*, III, 6. — 2 Cf. Fl. Jos., *Bell. Iud.*, V, x (ed. Dindorf [Didot] t. II, p. 259).

Eis qui possessiones habebant, manere aut perire unum erat. Ob causam quam ei imputabant, quasi volenti Romanis *res* tradere, vir periebat ob possessiones suas. Simul cum inopia etiam impudentia seditiosorum crescebat, et quotidie utrumque malum ingravescebat. Frumentum quidem palam nullo loco videbatur. Irruebant et intrabant atque scrutabantur domos, et si quid invenissent verberabant eos; et si non invenerant, quasi homines qui necessitate occultavissent, tormentis eos cruciabantur. Indicium autem an quid *cibi* haberent necne, erat adspectus corporalis horum miserorum. Hi enim, quorum corpora firma erant, censebantur alimentorum copia abundare. Eos autem occidere qui inaedia sua iamiam morituri erant, absque ratione erat. Multi autem facultates suas uno modio frumenti, si divites essent, hordei si pauperes, clam permutabant, et se abdebant in interiores domos. Quidam vero ob summam egestatem suam frumenta qualia erant, nondum molita, comedebant; alii autem coquebant, prout necessitas permittebat. Porro, mensa * nullibi apponebatur, sed ex igne rapiebant et * p. 107.
vorabant cibos nondum coctos. Miserabilis erat haec alimonia, et lacrimis dignum hoc spectaculum: nam qui sociis fortiores erant eam rapiebant, qui autem infirmiores ululabant. Omnibus passionibus validior est oppressio famis, et nihil est tam perniciosum sine verecundia quam illa. Res ceteroquin reverentia dignae in ea contemnuntur. Uxores viris, filii parentibus, et, quod maxime miserabile est, matres suis infantibus ex ore rapiebant; dum dilecti sui in ipsarum brachiis marcescebant, guttas vitales adimere eas non pigebat. Et dum ita comedebant, latere non poterant. Ubique enim perveniebant seditiosi, et assequebantur quidquid hi rapuerant. Quando enim alicubi ianuam clausam videbant, signum erat eos qui intus essent aliquid cibi sumere; et statim confringebant portas, et irruentes ingrediebantur, et a faucibus eorum compressis cibum revocabant. Vapulabant senes qui escam firmiter retinebant; evellebant crines mulierum quae occultabant aliquid cibi; nulla erat miseratio vetularum aut parvulorum; nam parvulos tollebant et in ipsa comessatione[1] elevabant et solo alli-

[1] Gr. τῶν ψωμῶν; i.e. dum mamillas sugunt.

debant. Qui vero ipsos praevenissent et cibum comedissent, priusquam ipsi advenerunt, quasi viros qui summa iniuria
* p. 108. ipsos affecissent crudeliter tractabant. * Diversa tormentorum genera excogitare studebant, ad investigationem ciborum. Ervis enim genitalia extorquendorum obturabant; et acutis sudibus podicem transfigebant. Etiam auditu terribile est quid perferret aliquis in confessione placentae aut pugilli farinae hordaceae. Tortores ipsi penuria minime laborabant. Minor enim visa fuisset haec crudelitas si neccessitate adacti essent. Sed in tanta ferocitate proficiebant ut alimenta prius sibi compararent in dies posteros. Eis qui noctu reptantes ad stationes Romanorum exibant ut olera agrestia et herbas collegerent, occurrebant et cum iam hostes effugisse putabant, ab eis quidquid afferebant rapiebant *seditiosi*. Et saepius, cum supplices precarentur et obsecrarentur per tremendum Dei nomen ut saltem minimam partem eorum quae inter pericula et angustias versantes attulerant, nihil concedebant eis. Faustum habere debebant si cum suis spoliis non peribant. — Et paullo post pergit dicens[1]: Iudaeis simul cum egrediendi facultate omnis spes vitae praeclusa erat. Et cum praevaleret fames per omnes domos et familias, populum depascebatur. Tecta enim plena erant mulieribus et pueris labefactis iacentibus, et angiportus[2] senibus mortuis. Iuvenes et virgines intumescebant[3] et quasi umbrae per vicos oberrabant et ubi quisque eorum labe corripiebatur corruebat. Sepelire autem amicos suos non
* p. 109. poterant qui fame torquebantur, et qui * viribus pollebat eum taedebat ob multitudinem mortuorum, et quid sibi accideret nesciebat. Plures super hos quos ipsi sepeliverant cadebant et moriebantur; plures etiam cum nondum ad sepulcra pervenerant moriebantur. In his acerbis calamitatibus lamentatio aut luctus non erat: fames enim omnes animi affectus superabat; et morti propinqui, eos qui in mortem praecessissent, siccis oculis intuebantur. Altum silentium et nox mortifera civitatem circumdabant; sed his omnibus peiores erant praedones. Spoliabant enim mortuos in domibus eorum; velamina corporum detrahebant, et ridentes inde egrediebantur; mucronem gladi-

1 Cf. ed. Dindorf, p. 265. — 2 Gr. οἱ στενωποί. — 3 Gr. διοιδοῦντες.

orum suorum in corporibus mortuorum experiebantur, etiam eos qui iacentes adhuc vivebant transfigebant; qui supplicabant ut porrigerent manum et ferrum, ut a fame liberarentur, eos arroganter neglegebant. Qui autem moriebantur singuli fixis oculis templum spectabant, quod seditiosos inter vivos relinquerent. Hi autem in principio ex publico aeario sepeliri mortuos iusserant, cum foetorem ferre non possent. Cum autem ad sepeliendum impares essent, e muro in vallis proiciebant eos. Titus autem cum transiret per has valles et mortuis plenas vidisset, et saniem defluentem e corporibus, ingemuit et, elevatis manibus in coelum, Deum testem invocat: Hoc opus non est meum.

Et, paucis dictis, addit Iosephus [1]: Non retinebor quin dicam quidquid enarrare me iubet dolor. Arbitror enim quod si Romani hos sceleratos aggredi tardavissent, aut abysso absorpta fuisset aut diluvio periisset haec * civitas, aut ignis sodomiticus in eam missus fuisset. Plus enim quam illos qui haec passi sunt Deus hanc generationem atheam toleravit. In impudentia enim istorum etiam totus populus periit cum eis. — Et rursum libro sexto, ita scripsit [2]: « Eorum qui fame oppressi in civitate peribant multitudo erat innumerabilis; eorum autem tormenta recitari non possunt. Per singulas domos ubi vel umbra cibi appareret, pugna fiebat: propinqui enim alter alterum impetebant et rapiebant subsidia misera vitae. Nec fidem penuriae eis faciebant etiam morientes, sed vel eos qui moriebantur scrutabantur hi seditiosi, ne forte cum aliquid in sinu suo haberet, virum attigisset mors. Alii autem ob inaediam suam, hiante ore, vagabant tanquam canes et putrescebant, et fatui circuibant et errabant ad portas, et tanquam ebrii tremulabant. Et prae inopia quae involvebat eos, in easdem domos irruebant et ingrediebantur bis aut ter spatio unius horae. Necessitas omnia convertebat in cibum, et quod ne bestiae quidem sordidae manducant, colligebant et comedebant. Postremo nec a cingulis lumborum nec a calceamentis abstinebant; coria scutis extensa evellebant et devorabant. In cibum adhibebatur etiam stipula foeni veteris; colligebant enim

* p. 110.

1 Ed. Dindorf, p. 269. — 2 *Bell. Iud.*, VI, III (ed. Dindorf, p. 285).

quidam singulas festucas et leve pondus quattuor drachmis
* p. 111. venumdabant. Sed quid nobis opus est loqui * ope rerum inanimatarum de iis quibus uti fame adducebantur; est enim mihi exponendum facinus quale non fuit inter Graecos, nec inter Barbaros accidisse refertur; horribile dictu, auditu vix credibile. Et ne reputarer a meipso portentum hominibus novum proferre libenter neglexissem et silentio praeterissem hanc narrationem, nisi testes innumeros haberem. Ceteroquin minorem praestarem gratiam civibus populi mei si a recitatione rerum quae revera patratae sunt abstinerem. Mulier quaedam, ex incolis transiordanicae regionis, Maria nomine, filia Lazari, e pago nomine Beth Hezor[1], quod interpretatur hyssopi domus, quae erat mulier genere et opibus illustris, cum multis hominibus aufugerat ut refugium quaereret Hierosolymis, et ibi inclusa erat. Supellectilem autem quam secum e regione transiordanica adduxerat in urbem, rapuerunt tyranni. Quidquid ei remanebat utensilium et escae et si quid aliud inventum est apud eam, irruentes ingrediebantur et dirripiebant satellites. Id eam acerbe commovebat, et saepius conviciabatur et maledicebat eis ut eos incitaret ad ipsius caedem. Sed neque ira neque miseratione commotus, ullus eorum eam interfecerat; si autem quamdam escam invenire poterat, illam pro aliis invenisse eam taedebat, et ceteroquin omnibus destituta erat quibus id possit. Fames autem in visceribus et cerebro dominaba-
* p. 112. tur, et magis quam fames * indignatio effervescebat. Haec autem mulier consilium furoris et necessitatis sequuta, adversus naturam insurrexit. Habebat filium adhuc lactentem; rapuit eum et ait: Puer infelix, inter bellum, famem et seditionem cuinam te servem? Si vivimus, servitus apud Romanos manet; etiam servitutem praevenit fames, et utraque acerbiores sunt praedones. Veni itaque, sis mihi cibus, seditiosis furia et universo populo fabula: quod solum deest calamitatibus Iudaeorum. Et haec dicens necavit filium; coxit eum, dimidiam partem comedit, reliquam coopertam servavit. Statim perceperunt seditiosi odorem huius et, strictis gladiis, minabantur se eam occisuros nisi exhiberet eis quid paraverat. Illa autem

[1] In graeco (ed. Dindorf, p. 286) Βηθεζώϐ.

statim dixit eis: Bonam partem servavi vobis, cibi quem paravi e filio meo; et detexit exhibuitque illis. Et confestim horrore correpti se averterunt, et spectaculo tabescebant. Illa autem dixit: Hic est filius meus dilectus, et facinus meum est. Sumite, comedite; ego etiam comedi. Ne sitis femina molliores neque matre teneriores; quod si pii estis et victimam meam despicitis, ego iam manducavi et quod superest mihi servabo. Post haec inde discesserunt trementes et pavidi, et aegre hanc escam huic mulieri reliquerunt. Et confestim repleta est tota civitas hoc nuntio horrido; et quisque ante oculos suos hoc scelus reponens, quasi ipse illud perpetrasset horrebat. Studium fame oppressorum erat moriendi; et beatos * reputabant qui prius mortui sunt quam tanta mala viderint aut audiverint. * p. 113.

Rursum, de iis quae praedixit et vaticinatus est Christus [1]. — Ultio igitur huiusmodi attigit Iudaeos ob scelus et impietatem eorum erga Christum Deum. Decuisset cum eis componere oraculum Salvatoris nostri infallibile quod dixit [2]: Vae praegnantibus et nutricibus in his diebus. Orate ne fiat fuga vestra hieme aut sabbato. Erit enim calamitas magna qualis non fuit ab origine mundi ad hanc diem, nec erit.

De supputatione eorum qui perierunt fame, peste aut gladio, vel in captivitatem abducti sunt [3]. — Idem scriptor [4] collegit numerum eorum qui fame et gladio perierunt, et dicit fuisse centum et decem myriades, hoc est, mille milia et centum milia. Reliqui autem praedones et seditiosi post direptionem civitatis occisi sunt; nam ipsi se invicem prodebant. Qui iuvenes erant, et corpore proceres formaque praestantiores, servati sunt spectaculis destinati. Reliquus populus a natis septemdecim annos et supra vincti sunt et in Aegyptum ad opera servilia missi. Multi in varia loca distributi sunt, perituri in spectaculis sive per gladios sive per bestias. Qui minores septemdecim annis erant abducti sunt captivi et venum dati: qui erant numero nonaginta milia.

1 Ex Eus., *Hist. eccl.*, III, vii — 2 Matth., xxiv, 19-21. — 3 Ex Eusebio, loc. cit. — 4 *Bell. Iud.*, VI, ix; sed non ad verbum textum recitat Eusebius; sunt plura discrimina. Cf. textum graecum (ed. Dindorf, p. 301).

Haec itaque gesta sunt anno 2° Vespasiani, qui fuit annus 2087° Abrahami, iuxta praescientiam Salvatoris Domini nostri Iesu Christi, qui virtute suprema divinitatis suae praevidit et annunciavit quae futura erant sicuti fuerunt; et flevit super
* p. 114. civitatem, * ut scriptum est in sancto evangelio, et refertur eum Hierosolymam hoc modo compellasse [1]: Utinam cognovisses diem pacis tuae! sed absconditus est tuis oculis. Venient tibi dies quibus te circumdabunt inimici tui, et te undique prement, et deicient te et cives tuos medio tui! — Et quoad populum rursum ait [2]: Erit calamitas magna in terram et ira vehemens in hunc populum; cadent in ore gladii et captivi ducentur in omnes Gentes, et Ierusalem calcabitur a Gentibus donec impleantur tempora nationum. Et rursum ait [3]: Cum videritis Ierusalem ab exercitu circumdari, scitote quia advenit eius desolatio. — Si quis itaque haec verba Salvatoris nostri comparet cum eo scriptore qui totum bellum narravit, quomodo non mirabitur laudabilissimam praescientiam Salvatoris nostri et confitebitur eam vere divinam esse.

De iis autem quae universo populo Hebraeorum contigerunt post passionem Christi et clamores illos totius coetus Iudaerum, qui clamabant et petebant latroni et homicidae vitam servari, et auctori vitae eam adimi rogabant, his Iosephi [4] historiis quidquam addere minime nobis necesse videtur; sed decet subiungere quae demonstrant miserationem et sollicitudinem gratiae eius quae quadraginta annos post scelus eorum in Christum distulit eorum ruinam; quibus annis multi discipuli eius et apostoli, et Iacobus frater Domini nostri, qui fuit primus episcopus, adhuc vivebant et in urbe Ierusalem versabantur, et tanquam murus validus meruerant huic loco ut providentia
* p. 115. Dei longanimis sit erga eos usque adhuc, ut fortasse * resipiscant eosque paeniteat eorum quae egerunt, et obtineant condonationem et vitam.

De signis quae fuerunt ante bellum [5]. — Praeter tantam longanimitatem, etiam signa mirabilia eis data sunt rerum futurarum quae ipsis contingant nisi poenitentiam egerint; et

[1] Cf. Luc., xix, 42. — [2] Luc., xxi, 23-24. — [3] Luc., xvi, 20. — [4] Nomen omissum in textu nostro. — [5] Ex Eus., *Hist. eccl.*, III, viii.

cum ea signa commemoratione digna putaverit supra dictus scriptor, in historiis suis, non incommodum erit dum progredimur in libro, si etiam ea referamus. Sume igitur et lege quod ab eo dictum est in sexto libro Historiarum[1]. Ita loquitur: Populo misero, deceptores, qui falsa quasi nomine Dei testabantur, eo tempore suadebant, ne signis evidentibus quae praenunciabant ruinam mox futuram attenderent aut fidem praestarent; sed quasi viri mente capti, nec oculos nec animum habentes, ita avertebantur a divino praeconio.

Primum quidem, supra civitatem stetit stella hastae similis et annum integrum mansit erecta. — *Rursum, priusquam rebellarent et excitaretur in eos bellum,* cum populus congregaretur die Azymorum, die octava mensis nīsān, hora noctis nona, tanta corruscavit lux super altare et super templum, ut quis existimaret diem iam lucescere; et ibi permansit spatium dimidiae horae. Id autem imperitis videbatur omen bonum; qui autem libros sanctos noverant discreverunt ea quae mox ventura erant. — *Eodem autem festo,* cum quis vaccam duceret ad altare, ea peperit agnum medio templo. — *Rursum,* ianua orientalis, quae aerea erat et magni ponderis, et sub vesperam vix claudebant eam viginti viri, et vectibus ferreis obserebatur et infra * pessulos habebat altos, circa horam sex- * p. 116. tam noctis inventa est sua sponte patefacta. — *Paucis diebus post festivitatem, die 21ª mensis iyar,* spectrum quoddam apparuit, quod reputaretur creditu difficile, nisi plures qui illud viderunt narravissent et subsequutae clades credibile fecissent[2]. Paulo ante occasum solis, supra totam regionem apparuerunt currus et exercitus armatorum supra nubes; currebant et circumdabant civitatem. *Rursum, die festi quod Pentecostes vocatur,* noctu templum ingressi sunt sacerdotes in ministerium, prout mos eis erat, et primum sonitum motus et strepitus percepisse dixerunt, et postea vox subito audita est, dicens: Hinc migremus; et etiam his terribilia.

Rursum, vir quidam rusticus, cui nomen Iesus, ex indoctis, quadrienno ante bellum, cum pacata erat civitas et omnium

[1] Cap. v. (ed. Dindorf, p. 292). — [2] Locus perturbatus videtur; graec. πάθη τῶν σημείων ἦν ἄξια.

rerum copia abundabat, venit ad festum quo tabernacula Deo erigunt, ut mos est. Et subito coepit clamare in templo: Vox ab oriente, vox ab occidente, vox a quattuor ventis; vox in Ierusalem et in templum, vox in sponsos et in sponsas, vox in universum populum. Et id tota die et nocte clamitans per omnes vicos circuibat; ita ut quidam nobiles e populo hoc nuntio infausto commoverentur. Et apprehenderunt hunc virum eumque multis verberibus affecerunt. Is autem neque pro seipso aliquod responsum dedit adstantibus, neque aliquid ex seipso locutus est, sed has primas voces pro more vocifera-
* p. 117. bat. * Principes autem existimarunt motum huius viri a daemone excitari, et detulerunt eum ad eparchum Romanorum. Ibi flagris eum dilaniabant usque ad ossa; at ille non eos deprecatus est, nec lacrimas lacrimavit, sed quam maxime poterat hanc sententiam modulabatur in tormentis, ad singula verbera quibus eum verberabant, et dicebat: Vae Ierusalem!

Rursum alia mirabilia narrat idem scriptor[1]. — Oraculum nempe inventum esse Ierusalem, in quo ita scriptum fuerit: Eo tempore adesse virum ex ipsorum finibus qui dominabitur in universum mundum. Quod opinabantur in Vespasiano completum. Is autem non in universum mundum dominatus est, sed in Romanos tantum. Decet itaque ut id ad Christum referatur, cui dictum est a Patre[2]: Postula a me, et dabo tibi Gentes in haereditatem tuam, et possessionem tuam terminos terrae; et rursum[3]: dominabitur a mari usque ad mare, et a fluminibus usque ad fines terrae. Coram eo procident insulae et inimici eius terram lingent. Potestas eius potestas in aeternum, et regnum eius in generationes generationum. Nam hoc tempore in omnem terram exivit praedicatio apostolorum et in fines orbis terrarum verba eorum, sicut scriptum est[4]; et etiam in terminos mundi auditus est sermo eorum.

Colligitur totum tempus usque ad annum 2um Vespasiani et vastationem ultimam Ierusalem, ab anno 15° Tiberii et initio praedicationis Salvatoris nostri: anni XLII; — a diebus An-
* p. 118. tiochi: anni CCXXXVIII; — ab anno * 2° Darii, cuius diebus

[1] *Bell. Iud.*, VI, V, sub fine (ed. Dindorf, p. 294). — [2] *Ps.* II, 8. — [3] *Ps.* LXXI, 8; CXLIV, 13. — [4] *Ps.* XVIII, 5; *Rom.*, X, 18.

exstructum est Templum Hierosolymis secunda vice: anni DXC; — a prima aedificatione templi, diebus Salomonis, usque ad ultimam direptionem, quae diebus Vespasiani facta est: anni MCIII; — ab Alexandro, Macedonum rege, anni CCLXXXI; — ab Abrahamo, MMLXXXVII.

Anno 2090° Abrahami, accepit episcopatum Romae sanctus Linus, et rexit annos XII.

Anno 2092°, fuit terrae motus vehemens in insula Cypro, et in eo corruerunt tres civitates.

Anno 2094°, mortuus est Vespasianus imperator, et regnavit post eum Titus, eius filius, annos duos et menses duos.

Anno 2096°, mortuus est Titus, et ei successit Domitianus, eius frater, annos XV et menses IV. Is persecutionem in Christianos excitavit post Neronem; multos inter proceres occidit; etiam chaldaeos (magos) et philosophos persecutus est et Roma expulit. Prohibuit ne quis christianos faceret, id est ne quis baptizaret.

Anno 2100°, episcopatum Alexandriae[1] accepit Abilius, et rexit annos XII.

Anno 2101°, Edessae regnavit Abgarus filius Izaṭis, annos VI et menses IX.

Anno 2102°, fuit bellum Romanorum adversus Nasamones et Dacos. Vicerunt autem Romani.

Anno 2106°, mortuus est Abgarus rex Edessae, et propter cupidinem principatus non consenserunt in unum principem, et ita * manserunt in contentionibus duos annos. Et postea * p. 119.
imperium tenuit [Ilur][2] Parnathaspaṭ[3] annos III et menses X. Eodem anno stetit in ecclesia Romae sanctus Clemens.

Eo tempore, Domitianus imperator iussit omnes propagines vinearum eradicari ex civitatibus; et *vetuit* ne plantaretur propago in civitatibus. Is Domitianus excitavit persecutionem in christianos, et multos inter nobiles occidit multosque persecutus est et expulit. Eiecit etiam Iohannem apostolum in insulam Patmum, ubi etiam Revelationem accepit.

Hoc tempore haereses plures prodierunt. Primum quidem

1 Ms.: *Romae*. — 2 Vox evanida; Tullberg: ܐܠܘܪ vel ܐܠܘܕ. — 3 Nomen parth. Παρθαμασπάτης vel Παρθεμασπάτης, iuxta Gutsmid.

haeresis quae Ebionitarum vocatur; quod humiliter et abiecte de Christo sentirent. Hominem enim simplicem eum censebant, qui solito profectu virtutum iustificatus est; et natus est e commercio viri et Mariae. Dicebant observationem legis necessariam esse, nec credebant quod vitam habeant per fidem. Alii rursum eodem nomine Ebionitae vocantur ob magnam eorum impudentiam. Natum esse e Virgine et Spiritu sancto, non negant, sed profitentur, sicut nos, ab initio esse Verbum Dei et sapientiam, sed et impietatem priorum (admittunt) eo quod consuetudines solliciti sunt servare. Epistulas autem Pauli omnino reiciunt, eumque desertorem legis vocant. Evangelio quod hebraicum dicitur, solo utuntur, reliqua vero non admittunt. Sabbatum, sicut alii, observant, et opera iudaismi; Dominicam autem sicut nos celebrant in memoriam resurrectionis
* p. 120. Salvatoris nostri. * Et ob has eorum opiniones nomen Ebionitarum sortiti sunt. Sic enim in lingua hebraica pauper vocatur ebionita.

Rursum, alia fuit quae Cerinthi vocatur. — Is Cerinthus per visiones tanquam apostolus magnus in mundum suam doctrinam introduxit, sermones insipidos mendacii. Et dicebat ab angelis sibi haec edocta fuisse: post resurrectionem in terris futurum esse Christi regnum; item, Hierosolymis voluptatibus corporis nos vacaturos esse. Et quia inimicus erat librorum divinorum voluit decipere et dicere millenarium transactum iri in festivo convivio nuptiali. Ea quae ipse ardenter cupiebat in somno suo videbat; eo quod valde carnalis fuit, amabat voluptates, id est potum, cibum et coniugium. Et quae putavit invenisse ab illis appellabantur festi et sacrificia et victimarum mactatio. Hic autem pugnavit adversus apostolum Iohannem evangelistam. Quadam die balneum ingressus est Iohannes ut se lavaret, et cum audiret Cerinthum ibi adesse, proripuit e loco suo et ad portam fugit, quia non patiebatur sub eodem tecto ac Cerinthus manere. Et id ait: Recedite e balneo né corruat
* p. 121. super vos, propter Cerinthum inimicum * Dei.

Fuit haeresis alia quae vocabatur Nicolai. — Is Nicolaus unus erat ex septem viris qui cum Stephano in ministerium egenorum electi sunt. Habebat uxorem formosam; et post adscensionem Domini nostri ab apostolis obiurgatus est quia

zelotypia laborabat. Ille autem eam in medium produxit et ei permisit ut cui vellet sit. Et quod de simplici voluntate [1] dictum fuit, ipsi aberrantes iuxta placitum suum interpretati sunt et dixerunt: Idcirco dictum est quia decet ut corpori detur quies sua; et contenderunt id idipsum esse in mandato Christi: Quia non possibile est duobus dominis servire, servire Domino nostro et uxori. Hi autem contrarium fecerunt, nam fornicantur sine pudore, omnes qui hac haeresi capiuntur. Didicimus autem Nicolaum a die illa et deinceps in castitate vitam absolvisse et eius filium filiasque in virginitate senuisse.

Anno 2110°, iubente Domitiano, occisi sunt omnes qui e stirpe Davidis erant, ne quis remaneat qui fuerit susceptor regni Iudaeorum. Inter eos apprehensi sunt etiam omnes qui erant e familia Iosephi viri Mariae.

Anno 2112°, apparuerunt signa magna Romae et in universa terra.

Eodem anno occisus est Domitianus in palatio, et regnavit Nerva annum et menses iv.

Anno 2113°, Edessae regnavit Parnathaspaṭ menses decem, et post eum Maᶜnu, filius Izaṭis, annos xvi et menses * octo. * p. 122.

Episcopus Alexandriae IIIus stetit Cerdon, annos xi.

Post Nervam regnavit Traianus annos xix et menses vi.

Anno 2115°, ex hoc mundo decessit Iohannes evangelista, et Ephesi depositus est.

Noscuntur eo tempore Papias Hierapolitanus, et Polycarpus episcopus peregrinationis [2], et Ignatius Antiochiae, qui erant discipuli Iohannis.

Anno 2121°, fuit terrae motus vehemens, et evertit civitates Asiae quattuor: Elaeam, Myrinam, Pitanam et Cymen; et in Hellade evertit Opuntium et Oritum [3]. Et compressit ira divina earum incolas in medio earum tanquam uvas.

Stetit autem in ecclesia Alexandriae IVus Primus, annos xii.

Eo tempore, persecutionem in Ecclesiam excitavit Traianus; in ea martyrium passus est Simeon filius Cleophae, episcopus

[1] Locus forsan corruptus. Vide Eus., *H. E.*, III, xxix, quem fere ad verbum recitat auctor noster. — [2] Legendum *Smyrnae*; cf. infra p. 95, n. 1. — [3] Ὀπουντία καὶ Ὦριτος (*Sync.*).

Ierusalem, et post eum munus accepit Iustus. — Ille autem Simeon erat filius Cleophae, fratris Iosephi viri Mariae. Cum esset natus annos cxx subiit certamen martyrii, et postquam tormenta multa et varia sustinuit, cruci affixus est. Etiam Ignatus Antiochenus Romae martyrium passus est; et post eum episcopus Antiochiae fuit Hieron.

Anno 2124º, iussit Traianus persecutionem adversus Christianos quiescere, et fides eorum consolidaretur.

Episcopatum ecclesiae Romae suscepit V^{us} Alexander, annos x.

* p. 123. Templum autem quod Romae est et * vocatur « Omnium deorum » fulmine dirutum est. Et in Galatia tres urbes terrae motu dirutae sunt.

Anno 2128º, sedem ecclesiae Hierosolymitanae accepit IV^{us} Zachaeus, et post eum V^{us} Tobias, et post eum Beniaminus, et post eum Iohannes, et post eum Matthaeus, et post eum Philippus.

Anno 2128º, fuit magnus terrae motus Antiochiae, qui paene totam civitatem evertit.

Anno 2130º, in Edessam regnavit Maʿnu filius Maʿnu, annos xxiv; et transiit in Beth Romayé. — Iudaei qui erant in Libya, cum ethnicis qui apud eos habitabant dissensionem et bellum movere coeperunt, et etiam qui in Aegypto, Alexandriae, in Cyrene, in Thebaide; in eos praevaluerunt Graeci alexandrini.

Anno 2131º, cum Iudaei Mesopotamiae seditionem moverent, Traianus mandavit Lysiae Quieto ut amoveret eos ab eparchia. Et arma sumpsit Quietus, et multas myriades eorum interfecit, ita ut vici et domus civitatum, viae et semitae et omnia loca cadaveribus eorum repleta erant; et non erat qui sepeliret. Rursum, Salaminae in insula Cypro, Iudaei insurrexerunt, ethnicos qui in urbe erant occiderunt et civitatem everterunt.

Anno 2132º, Traianus morbo mortuus est Selinunte; et regnavit Hadrianus, annos xxi. Is Hadrianus Alexandriam, quae perturbata erat a Iudaeis, restituit; et Iudaeos qui adversus Romanos secunda vice rebellaverunt subiecit. Et rursum
* p. 124. iussit omnes Iudaeos a Ierusalem discedere, nec rursum * illuc redire.

Eo tempore, exorta est haeresis Sabellii. — Sabellius insurrexit adversus Ecclesiam hoc tempore et dixit: unam hypostasim esse Trinitatem[1], et ideo Mariam esse Trinitatis genitricem, et etiam Trinitatem crucifixam esse. Adversus eum congregata est Ancyrae Galatiae synodus XLIII episcoporum. Definitionem fecerunt, et anathematizaverunt eum et ab Ecclesia eiecerunt, quia noluit ab eo quod statuerat recedere.

Anno 2º Hadriani, is fecit remissionem debitorum; civitatum quae obligatae erant chartas igni tradidit, et tributa multis condonavit.

Anno 4º eiusdem, factus est Xystus episcopus Romae, annos tres. — Eo anno stetit in ecclesia Alexandriae Iustus, annos XI.

Eodem anno fuit terrae motus gravis: ruit in eo Nicomedia, et maior pars Nicaeae. Misit Hadrianus aurum et eas denuo aedificavit.

Hierosolymis post Philippum stetit episcopus Seneca, et post eum Iustus, et post eum Levi, et post eum Ephros[2], et post eum Iose, et post eum Iuda: omnes isti episcopi e circumcisione steterunt, usque ad obsessionem quae fuit diebus Hadriani.

Anno 2144º, factus est episcopus Romae Telesphorus, annos XX. — Et ecclesiae Antiochiae fuit *episcopus* Cornelius.

Et eo tempore Nicopolis et Caesarea terrae motu eversae sunt.

Et in ecclesia Alexandriae stetit Eumenes, annos XIII.

Eo tempore in Cephiso flumine fuerunt exundationes magnae et vehementes, quae civitatem Eleusin inundaverunt, et incolas eius perdiderunt et suffocarunt, et quidquid in ea erat vastaverunt. Eo autem tempore * supra hoc flumen pontem *p. 125.
fecit rex Hadrianus.

Anno 2145º, fuit in ecclesia Alexandriae Eumenes.

Anno 2149º, Cochebas dux exercitus Iudaeorum multis malis populum christianum affecit, quod recusaverunt cum illo progredi in bellum adversus Romanos. Et Romani Iudaeique bellum ad latus Palaestinae gererunt; et Iudaei trucidati

[1] Ms. « *filium Dei* ». — [2] *Sync.*, Ἐφραίμ.

sunt, et Romani eos captivos fecerunt, et exstirparunt atque removerunt ex Ierusalem. Ab hoc tempore etiam adscendere Ierusalem omnino prohibiti sunt: primum per voluntatem Dei, deinde edicto Romanorum.

Episcopus Ierusalem primus e Gentibus stetit Marcus, cum desinerent qui e circumcisione fuerant.

Anno 2152°, Hadrianus hydropisi mortuus est, et post eum regnavit Titus Antoninus, qui vocatus est Pius, cum filiis suis Aurelio et Lucio, annos xxii et menses iii. — Et anno primo eius factus est Hyginus episcopus Romae, annos iv; et post eum fuit Pius, annos xv.

Anno 2154°, Edessae regnavit Vales filius Sahru, annos duos. Et post eum regnavit Maʿnu filius Izaṭis, cum rediisset e dicione Romanorum, annos xii. Summa autem totius regni eius, xxxvi annorum, praeter illos quos fuit apud Romanos.

Eo tempore Valentinus haeresiarchus innotuit, et etiam Cerdon, qui assecla fuit Marcionis.

Anno 2157°, stetit episcopus V^{us} Antiochiae Eurus[1]; et Alexandriae stetit Marcus, qui ministravit annos decem.

* p. 126. Anno 2169°, Edessae regnavit * Abgarus filius Maʿnu, annos xxxv. — Et anno factus est episcopus Alexandriae Celadion, annos xiv.

Anno 2172°, factus est episcopus Romae Anicetus, annos xi; huius diebus cum Romam venisset Polycarpus, multos haereticos convertit.

Rursum, episcopus Ierusalem stetit XVII^{us} Marcianus[2], XVIII^{us} Publius, XIX^{us} Maximus, XX^{us} Iulianus, XXI^{us} Gaianus, XXII^{us} Symmachus; XXIII^{us} Gaius; XXIV^{us} Iulianus; XXV^{us} Capiton[3].

Anno 2177°, mortuus est Titus rex Romanorum; et regni potiti sunt post eum Lucius et Aurelius, eius filii, annos xix cum mense.

Anno 4° eorum, populatus est Vologesus rex Parthorum multas Romanorum terras. Et eo anno Agrippinus factus est in ecclesia Alexandriae episcopus, annos xii[4].

[1] *Sync.*: Ἔρως. — [2] Sic ms.; legendum Cassianus. — [3] *Sync.*: Ἀπιών. — [4] Sic ms.; lapsus pro XII^{us}.

Anno 2183° Abrahami, fuit persecutio dura, vehemens et immisericors adversus Christianos. In ea martyrium passi sunt multi homines, praesertim in regionibus Galatiae[1].

Etiam sanctus Polycarpus episcopus Smyrnae, et Papias episcopus peregrinationis[2], discipuli Iohannis apostoli, in ea martyrium passi sunt.

Et eodem anno fuit morbus pestilens, gravis et vehemens; et pervenit usque Romam.

Alexandriae factus est episcopus Agrippinus; et in ecclesia Romae * Soter, annos VIII. — Et Antiochiae fuit episcopus VI^{us} Theophilus, cuius libri diversi exstant. * p. 127.

Eo autem tempore noscuntur in Ecclesia episcopi hi: Soter Romae; Agrippinus Alexandriae; Theophilus Antiochiae; Dionysius Corinthi; Apollinarius Hierapolis, qui adversus falsam prophetiam Phrygum surrexit et eam delevit; Meliton Asiae.

Anno 2188°, Antoninus perpetuo intentus erat ut cum hostibus dimicaret, sive ipse adesset sive duces belli mitteret. Cum autem Pertinax et qui cum eo erant apud Quados siti vexarentur, imber de caelo illis contigit, dum in Germanos et in Sarmatas, qui contra eos stabant, fulmen cecidit et plures ex illis destruxit. Dicunt quoque litteras Marci regis exstare quibus testatus sit quod, cum iam siti periturus esset exercitus suus, precibus christianorum servatus est, imbre de caelo immisso.

Anno 2192°, factus est episcopus ecclesiae Romae Eleutherus, annos XV. — Et in ecclesia Antiochiae fuit Maximus.

Anno 2194°, fuit terrae motus, et Smyrna, quae est in Asia, corruit; ut autem iterum aedificaretur a tributis exempta est per decem annos.

Anno 2195°, Antoninus morbo correptus est et mortuus est in Pannonia; regnavit post eum Commodus, annos XIII.

In ecclesia autem Alexandriae stetit Iulianus, et rexit annos X. — Irenaeus episcopus Lugduni florebat.

Rursum, episcopi Ierusalem. Hi quidem noscuntur unus

[1] *Sync.*: κατὰ τὰς Γαλλίας. — [2] Cf. supra, p. 91, n. 2, ubi confusio inter sedes horum episcoporum irrepsit. Episcopatus peregrinationis intellegendus est Ἰουδαίων παρεπαδήμων; non autem fictitiae civitatis Tutbotae, ut tradunt Siegfried et Gelzer.

post alterum: XXVI^{us} stetit Maximus, XXVII^{us} Antoninus; * p. 128. XXVIII^{us} Valens; * XXIX^{us} Dolichianus; XXX^{us} Narcissus; XXXI^{us} Dius; XXXII^{us} Germanus; XXXXIII^{us} Gordianus; et post eum Narcissus praecedens [1]. Omnes isti episcopi successivo tempore Hierosolymis steterunt; et nobis defuit occasio ut singulos ordinaremus, quia non est consignatum tempus administrationis eorum.

Anno 2203°, in Capitolium fulmen cecidit, et vehemens incendium bibliothecam locaque plura consumpsit.

Edessae regnavit Abgarus Severus, cum filio suo, annum et menses septem; et post eum regnavit Ma^{c}nu, eius filius, annos XXVI.

Episcopus ecclesiae Antiochenae stetit Serapion. — In ecclesia Alexandriae stetit Demetrius, annos XLIII.

Eo tempore synodus Neocaesareae congregata est.

Rursum, eo tempore noscuntur episcopi Demetrius Alexandriae, Serapion Antiochiae, Narcissus Ierusalem, Irenaeus Lugduni, Dionysius Corinthi, Apollinarius Hierapolis, Victor Romae, Alexander Alexandriae minoris. Etiam Theophilus ex Caesarea, et Polycrates et Bacchylides pastores [providi] [2] florebant.

Anno 2208°, Commodus persecutionem in christianos excitavit, et multi martyrium passi sunt. Et ipse citius paenam tulit, nam subito mortuus est; strangulatus est in domo Vestiliani [3]. Et post eum regnavit Pertinax, sex menses; et post eum Severus, annus XVIII.

Anno 2213°, fuit bellum inter Iudaeos et Samaritanos.

* p. 129. Anno * 2215°, factus est episcopus ecclesiae Romae Zephyrios [4].

Hoc tempore fuit persecutio gravis in Ecclesiam. Et Leonides pater Origenis martyrium passus est. Et Alexander in confessione coronatus est.

Item, eo tempore Narcissus episcopus Ierusalem innotuit. Is autem Narcissus vir erat virtuosus et miraculorum patrator.

1 Scl. « secunda vice »; *Sync.* πάλιν, iterum. — 2 Vox evanuit. — 3 ἐν οἰκίᾳ Βεστιανοῦ (*Chron. Pasch.*). — 4 Lege ܙܦܘܪܝܢܘܣ, Ζεφυρῖνος (*Sync.*).

Tempore festi Paschatis, cum deficeret oleum diaconis, et idcirco anxietate magna tenebatur congregatio, is beatus videns anxietatem congregationis mandavit diaconis ut sibi afferent aquam. Et postquam attulerunt et oravit in eam, iussit diaconos immittere aquam in lampadibus, in fide acuta Domini nostri. Et cum id fecissent, mutatae sunt aquae in naturam olei, per virtutem divinam et orationem beati. Et quia pulchra aemulabatur et mala omnia abolere studebat, tres viri malefactores, cum timerent ne incidant in manus eius, causam in eum machinati sunt et calumniose eum accusaverunt coram populo. Et unus quidem dixit: Si res non ita se habet, igni consumer! Alius dixit: Si verum non est, in morbum insanabilem cadam. Tertius autem dixit: Si id non vidi, occaecentur oculi mei. Et quando id dixerunt audaces, nemo fidelium eis fidem praestitit. At, quemadmodum ipsi statuerant in seipsos, et ea infirmitate quam quisque sibi elegit, citius et prompte attigit eos poena. Et quia Narcissus, ob gravamen senectutis, non poterat ministrare, Alexander episcopus Caesareae visionem habuit, ut proficisceretur ad visitanda loca sacra[1]: * et * p. 130. Ierusalem pervenit. Item, toti ecclesiae huius loci in visione dictum est: Exite, et excipite episcopum qui vobis a Deo electus est. Et egressi, Alexandro advenienti occurrerunt. Et ita retentus est ab episcopis et fratribus et universa ecclesia loci, nec permiserunt ei ut ad sedem suam rediret, sed ministravit cum Narcisso quamdiu is vixit.

Eo autem tempore erat haeresis Montani. — Est in Mysia quoddam pagus cui nomen Ardabu[2]. Ex eo oriendus fuit vir, qui recenter fidem amplexus erat, Montanus nomine. Huius cor replevit Satanas. Dicebat et vaticinabatur verba a traditione Ecclesiae aliena. Superbia exaltatus erat Montanus et dicebat seipsum esse Spiritum paraclitum; etiam a seipso instituit mulieres duas ex suis, quas replevisset Spiritus sanctus, et vocavit prophetissas; uni nomen erat Prisca et alteri Maximilla. Adversus haec decertavit sanctus Apollinarius episcopus Hierapolis Asiae.

1 Ms.: « loca oeconomiae » (scl. Verbi incarnati). — 2 Ἀρδαβαῦ (Eus.).

Anno 2226°, mortuus est Severus, dum bellum gerit adversus Barbaros; et regnavit post eum Antoninus, annos VII.

Anno 2224°, factus est episcopus [Antiochiae] VIII^{us} Asclepiades; et Ierusalem fuit Alexander.

Anno 2232°, fuit Edessae inundatio aquarum fluminis quod ingreditur urbem a parte occidentali. In hoc flumine, quod vocatur Daiṣan, factae sunt exundationes vehementes noctu; dum quisque dormit et tranquillus quiescit in domo sua, crevit flumen plenum a ripa ad ripam, et obstructi sunt exitus eius in muro orientali *dispositi*, mole quisquiliarum quas defe-
* p. 131. rebat e montibus et plateis. Et retroversum est * diluvium, et dum quisque dormit in lecto, irruentibus aquis per portas et fenestras, suffocati sunt in cubilibus suis; domus autem luto et lateribus constructae dissolutae sunt, et corruerunt, et oppresserunt in medio possessores suos, et subito factae sunt sepulcra habitatoribus suis. Et adimpleta est prophetia quae dicit[1]: Sepulcra eorum in domibus eorum in aeternum. — Suffocati sunt in ea *urbe* plus quam duo milia hominum et maior pars pecudum. Cum autem vehementius murum premeret inundatio, subito scissus est, corruit et abreptus est coram aquis; vastavit civitatem et eduxit quidquid allisit exundatio aquarum: cadavera hominum et iumentorum, ligna et domorum materies, et supellectilem praeclaram, et quidquid erat in vicis et in tabernis urbis. Vastavit etiam hortos, domos, pagos, et omnes possessiones quae coram invenit in planitie Edessae et Harran. Videre erat lectos stratos medio aquarum abductos, et quandoque possessores eorum in eis *iacentes* !

Anno 2233°, fuit bellum grave et vehemens, et inebriata est terra sanguine hominum Edessam inter et Harran. In hoc bello occisus est Antoninus rex Romanorum. Et post eum regnavit Macrinus, annum; et ipse occisus est Archelaide; et regnavit post eum Antoninus, qui [et Heliogabalus[2].

Hic cessavit regnum Edessenorum; dominatio imperii eorum substitit per annos CCCLII, et redacti sunt sub potestatem Romanorum, ab hinc et deinceps.

1 *Ps.* XLVIII, 12. — 2 Sic corrig.; cod.: « qui ex Eligala ». Auctor videtur nomen ignoti loci hic intellexisse.

Anno 2234°, * factus est episcopus ecclesiae Antiochiae Phi- * p. 132. letus [1]. — In ecclesia autem Romae fuit Callistus.

Anno 2236°, in Palaestina, Nicopolis civitas condita est, quae antea Emmaus vocabatur.

Anno 2238°, occisus est Antoninus in foro romano; et post eum imperium obtinuit Alexander filius Mammeae, annos XIII. Is videtur fuisse primus christianus inter Romanos imperatores. Etiam Mammea, matre huius Alexandri, dicunt nullam mulierem in orbe fuisse religiosiorem; ita ut multa narrationes de ea, ob praeclara opera eius, circumferantur.

Anno 2240°, factus est Urbanus episcopus ecclesiae Romae, annos IX. — In ecclesia Antiochiae stetit Zebennus. — Origenes Alexandriae innotuit.

Anno 2246°, factus est episcopus ecclesiae Alexandriae Heraclas, annos XIX.

Eo etiam tempore perturbatio magna Alexandriae orta est; inde discessit Origenes et Caesareae Palaestinae domicilium suum fixit.

Eo anno factus est episcopus ecclesiae Romae Pontianus, annos V.

Anno 2251°, occisus est Alexander Mogontiaci, et regnavit Maximinus, annos III. Is persecutionem gravem excitavit adversus rectores Ecclesiae; amovit, pepulit et eiecit eos ab eorum sedibus. Multi in hac persecutione martyrium passi sunt. Sed in eum Deus iram citius immisit et eum ex hac vita sustulit; occisus est enim Aquileiae, * et regnavit post eum Gordianus, * p. 133. annos VI.

Anno 2255°, fuit in ecclesia Romae Anterus, per mensem; et post eum fuit sanctus Fabianus, annos XII. De hoc sancto Fabiano pauca nobis dicenda sunt . Postquam enim mortuus esset sanctus Anterus episcopus, cum singuli ambirent hunc gradum principatus, undique Romae convenerunt episcopi, presbyteri et monachi ut instituerent episcopum. Etiam viri noti et nobiles ibi aderant, qui diversas hac de re tenebant opiniones: is hunc postulabat, ille illum laudabat. Fabianus autem nemini in mentem venerat. Accidit autem ut rediret e

1 *Sync.*: Φίλιππος. — 2 Ms.: Novati.

villa quadam extra civitatem posita; et cum viris comitibus accessit ut quid ageretur, sicut turba, videret. Ubi autem advenit, ecce avis in speciem columbae subito descendit ex alto et subsedit in caput eius; et subito universus populus quasi uno ore exclamavit: Dignus est. — Et ita assumpserunt eum et eum instituerunt in thronum episcopalem.

Anno 2260°, occisus est Gordianus apud Parthos, et post eum regnavit Philippus, annos VII.

Regnante Philippo, mille anni expleti sunt *ab urbe condita* et ludi millenarii acti sunt: bestiae occisae sunt, theatrum in campo Martii per tres dies et tres noctes exhibitum est.

De eo *Philippo* fama erat ipsum esse christianum; et die altera paschae, voluit cum populo in precatione participare, sed id ei non concessit episcopus Fabianus, priusquam confiteretur et reputaret seipsum inter eos qui ob delicta sua in
* p. 134. paenitentia stant, dicens se eum non recepturum nisi * id fecisset, propter graves accusationes quae adversus eum productae sunt. Annuit *Philippus* ex tota conscientia, ut refertur, et opere manifestavit se mentem vere religiosam habere. Et ita suscepit eum *episcopus*; et ingressus est ecclesiam.

Anno 2264°, factus est Dionysius episcopus Alexandriae, annos XVII.

Anno 2267°, occisus est imperator fidelis Philippus cum filiis suis, et regnavit Decius annum et menses tres. Is autem Decius, fidelem et religiosum Philippum cum eius filiis occidit, propter inimicitiam exortam inter ipsum et Philippum. Quia is sanctus despiciebat et evertebat idololatriam, ob inimicitiam erga illum etiam in nos accensa est ira Decii, et excitavit persecutionem adversus sanctos Ecclesiae pastores, et adversus omnes eius fideles; eradicavit, solo aequavit et dispersit ecclesias et templa; et effudit sanguinem filiorum Ecclesiae. In hac autem persecutione martyrium passus est sanctus Fabianus episcopus Romae, Alexander episcopus Ierusalem, et Dionysius Alexandriae. Origenes multa passus est. Sacerdotes, monachi et fideles saeculares innumeri martyrium passi sunt hoc anno. Immo, accensa ira diabolica qua possidebatur, e loco suo discessit ut omnes regiones peragraret et omnes fideles persequeretur. Pervenit usque Ephesum civitatem, et in ea

plusquam in omnibus aliis mala patravit. Itaque volo hic sermonem meum abrumpere et narrare pauca ex multis malis quae patrata sunt in hac urbe Epheso.

*NARRATIO DE EPHESO ET DE OCTO PUERIS QUI IN EA URBE TESTIMONIUM DEDERUNT [1]. — Cum autem iniquus Decius regnaret et Carthagene e civitate Byzantium et Ephesum urbem descendisset, tunc ecclesiae loci clausae sunt fideliumque congregationes dissipatae sunt; et sacerdotes fratresque timuerunt et a conspectu eius recesserunt. Cum autem intrasset Decius Ephesum exaltatum est cor eius, et coepit aras medio oppido aedificare. Et cum paganismo vehementer addictus esset, primores oppidi, ipso iubente, idolis cum eo sacrificabant, et corpora eorum victimis polluebat. Coetus densi quotidie in medio oppido Epheso undique congregabantur, et fumus holocaustorum victimarum civitatem obscurabat, et caligo incensi in crematione holocaustorum e medio oppido adscendebat et muros eius per circuitum obtegebat. Hoc itaque festivo coetu lugubri paganismi, qui ibi congregatus erat, magna tristitia fuit fidelibus; eorum capita demissa erant, latebant et ingemebant, et velamine faciem suam velabant ob timorem persecutionis. Et subito, die tertia, iussit rex christianos apprehendi. Pagani autem et Iudaei milites comitabantur, et e latebris et recessibus fideles vi educebant *et violenti abreptione deducebant eos ubi coetus cum rege ad sacrificia congregati erant. Qui autem tormenta et spectrum mortis timebant, a veritate et praeclara celsitudine vitae fidem abnegantes deficiebant et

*p. 135. *p. 136.

[1] Acta graece exstant in *Patr. Gr.*, t. CXV, col. 428; cf. *Acta Sanctorum*, t. VI julii, p. 175, et opus inscriptum *Dissertatio de sanctis septem Dormientibus* (in 4°, Romae, 1741). Quod ad textum syriacum attinet bibliographia copiosior est ut hic recitetur; satis erit memoravisse J. KOCH, *Die Siebenschläferlegende ...* (Lipsiae, 1883), IGN. GUIDI, *Testi orientali inediti sopra i sette Dormienti di Epheso* (Memorie del' Acad. dei Lincei, t. XII; 1884); M. HUBER, *Die Wanderlegende von den Siebenschläfern* (Lipsiae, 1910); et praesertim A. ALLGEIER, *Untersuchungen zur syrischen Überlieferung der Siebengeschläferlegende* (Oriens Christianus, neue Ser., t. IV-V; 1915); in eodem periodico (t. VI-VII) idem auctor edidit et germanice vertit textum cod. Berolinensis in quo antiquiorem legendae formam contineri putat. Vide etiam recensionem Pseudo-Zachariae in hac nostra serie, t. V (textus p. 106, versio p. 74).

declinabant; et mox coram omnibus sacrificabant. Dum haec audiebant fideles, lamentabantur de perditione animarum timidorum. Qui autem fortes et constantes se gerebant coram doloribus temporalibus propter Christum, in rupe veritatis quae non quatitur, animose stabant. Et tela ardentia maligni[1] corporibus eorum quasi scutis infigebantur; cruciatus et angores tolerabant; venustas corporum eorum perdebatur, et quasi stercus in faciem terrae effundebatur; membra corporalia eorum amputabantur et in turribus pinnisque muri suspendebantur. Capita vero ligneis columnis in portis urbis per cicuitum affigebantur; corvi et aves cum vulturibus et coracibus super oppidum volitabant, et cadavera sanctorum auferebant ac devorabant; et moeror magnus in membra fidelium extensus erat, et adflictio acerba menti studiosorum affixa erat, et terror metusque omnes tenebant. Haec est lucta mirabilis; hoc est certamen spectantibus plenum terroris; haec est pugna stupenda qua superi et inferi obstupuerunt. Parietes aedificiorum querebantur propter facinus quod intra eos fiebat, et tecta aedificiorum eiulabant cum, ob clamorem doloris qui subter praevalebat, se humiliare cogerentur; plateae civitatis abreptione christianorum, qui per eas arripiebantur,
* p. 137. adflictae erant. Lacrimae in oculis praevalebant * qui dilectorum suorum cadavera videbant et avium omne genus in ea considentium. Muri civitatis ne ruerent timebant, dum in eos sanctorum corpora congerebantur. Quis est dolor hoc dolore vehementior? Fideles enim alii apud alios confugiebant ut a viris immisericordibus evaderent. Patres suos liberos abnegabant, et liberi suos parentes non confitebantur; amici ab amicis suis recedebant ob angustiam eos circumvolventem. Fides autem Christi in angustia aedificabatur, et illustres firmitate et experimento constantiae suae probabantur.

Maximilianus autem, et Iamlichus, et Martolus, et Dionysius, et Iohannes, et Serapion, et Exsustadianus et Antoninus[2]: firmi in fide Filii Dei et passionem crucis eius in corporibus

[1] Cf. *Eph.*, VI, 16. — [2] Nomina in graeco: Μαξιμιλλιανὸς δὲ καὶ Ἰάμβλιχος, καὶ Μαρτῖνος, καὶ Ἰωάννης, καὶ Διονύσιος, καὶ Ἐξακοστοδιανός, καὶ Ἀντωνῖνος.

suis portantes, cum haec quotidie viderent, ingemebant et
moesti erant in dolore suo, et nitor vultus eorum obscuratus
est et contabuit. Vigiliae, ieiunio et orationi in sussuratione
deprecationis proni in terram addicti erant, quia milites et
palatini regis erant, atque principes et nobiles huius oppidi.
Tempore autem sacrificiorum quae a rege et turbis celebrabantur,
hi fideles opportunitatem nacti ingrediebantur archivium,
et faciem in terram proni seipsos humiliabant, in lacrimis
et orationibus coram Deo ingemebant, et caput suum
pulvere respergebant. Observaverunt autem tempus sodales * eo- * p. 138.
rum, et tempore sacrificiorum, dum omnes in templo idolorum
apparent, ingressi invenerunt beatos in domo solos, corporibus
in pulverem prostratis, in lacrimis et fletu oculorum suorum.
Et inimici veritatis accesserunt ad iniquum regem et eos accusaverunt
dicentes: Auguste, rex aeterne, in pace regni tui
etiam longinquos adduxisti ad sacrificia deorum, et ecce propinqui
spernunt maiestatem tuam et contemnunt mandata tua;
oblivioni tradunt cultum tuum et religionem christianorum
clam in palatio tuo celebrant. Est autem princeps eorum Maximilianus,
et e genere praefectorum *sunt* septem eius socii,
principes et nobiles huius oppidi. Tunc rex infremuit et, ipso
mandante, eos rapuerunt et coram imperatore introduxerunt,
lacrimis adhuc in eorum oculis, et crine capitis eorum consperso
pulvere terrae in quam proni erant coram Deo in oratione.
— Et dixit eis rex: Quare inter perfecta sacrificia
deorum totius orbis, quae illis offerebamus, apud nos non commorati
estis, et non consociati estis principibus et vulgo concivium
vestrorum? Nunc accedite et cum gaudio, sicut omnes,
sacrificium perficite, quod diis debetur. — Tunc Maximilianus,
cum beatis sociis eius, respondit et dixit: Habemus deum
potentem, quo caeli et terra pleni sunt, cui sacrificia abscondita
et pura confessionis nostrae offerimus; et tus glorificationis
linguarum nostrarum absconditae eius essentiae offerimus
in perfectione mentis nostrae, et in sussuratione deprecationis
nostrae coram eo perseveranter apparemus. Nos * ita- * p. 139.
que tus fumi polluti coram idolis non offerimus; et sacrificio
immundo coram daemonibus mentes nostras et puritatem corporum
nostrorum non polluemus.

Tunc rex serie interrogationum cum singulis locutus est; et professio confessionis eorum haec eadem erat. Et, iubente rege, dissectae sunt zonae eorum octo, dum dicit eis: Cum iam a regno deorum nostrorum separati estis, ecce alieni eritis a dignitate militiae imperii nostri, donec habuero opportunitatem et coram me scrutatione verborum vestrorum sagaciter probabimini. Ecce opportunitatem do vobis ut recogitetis et vivatis. Iusserat, et substraxerunt catenas ferreas ab humeris eorum. Et eos a conspectu suo removerat. Decius autem ad alia oppida visitanda exiit, in eadem mente Ephesum reversurus. Tunc obtigit Maximiliano et eius sociis opportunitas operis iustitiae in fide sua perficiendi. Aurum et argentum de domo parentum suorum ceperunt, et eleemosynas pauperibus secreto et aperte dabant. Et inter se consuluerunt, et dicunt: Recedamus ab hoc oppido habitato et eamus in speluncam magnam quae est in monte ᵓAnkīlos[1], et ibi stemus continuo coram Deo in oratione, absque perturbatione mundana et absque timore ab hominibus, donec revertatur rex, ut coram eo appareamus. Ne simus otiosi in glorificatione Dei, et quod est eius placitum erga nos faciat. Et huic consilio adhaesit universa decora fidelium corona, qui erant numero octo.

Iniecerunt in marsupio nummos argenteos et secum sumpse-
* p. 140. runt. Et adscenderunt * in speluncam quae est in monte Ankilos[2]; et ibi fuerunt dies multos, proni in faciem coram Deo, in oratione et supplicatione pro salute suae vitae. Iamlichum autem socium eorum, qui erat iuvenis sapiens et celer, sibi curatorem fecerunt. Is, mutatis vestibus in speciem mendici, secum pecuniam sumebat et in urbem descendebat; et discebat quae in palatio regio agebantur; dabat autem eleemosynam pauperibus e pecunia quam habebat, panis alimentum emebat et adscendebat apud socios suos eosque de his quae in urbe agebantur certiores faciebat.

Quadam autem die, venit rex Decius in oppidum Ephesum,

[1] De variis locis quibus nonnulli situm speluncae reperire voluerunt vide Cl.-Ganneau, *El-Kahf et la caverne des Sept-Dormants* (*C.R. Acad. des Inscr.*, 1899, p. 564). In graeco: τὸ ὂν ἐξ ἀνατολῶν τῆς πόλεως. — [2] Gr.: Μοχλός. Surius: *Ochlon*.

et statim iussit ut magistratus[1] sacrificarent cum cognatis Maximiliani et eius sociorum de quibus sollicitus erat; cogitavit de ipsis et fuit timor omnibus fidelibus civitatis, qui ceperunt a conspectu eius aufugere. Etiam Iamlichus terrore captus est, et ab oppido discessit, parum cibi secum deferens; et in montem ad speluncam apud socios adscendit. Turbatus et tremens prae angustia, socios de regis tyranni ingressu in oppidum certiores fecit, et quod iussi sunt et requisiti ut cum magistratibus coram eo sacrificare venirent. His auditis, timuerunt et territi sunt, et adscendere fecerunt orationem coram Deo, proni in faciem super pulverem terrae, in magna supplicatione et acerbo dolore, vitam suam Deo commendabant. Surrexit Iamlichus et disposuit coram eis aliquantulum cibi quod emerat eosque accumbere fecit ut, cibo sumpto, roborarentur et ad pugnam tyranni se pararent. * Et vultus suos sustulerunt et simul sede- * p. 141.
runt media spelunca, cum lacrimis in oculis suis et dolore in corde suo, et cibum sumpserunt. Tempus erat vespertinum; et dum sedebant, lugentes et inter se colloquentes, sopiti sunt, quia oculi eorum gravati erant tristitia cordis eorum. Tunc Deus misericors, qui omni tempore curam habet de eis qui laborant in vinea eius, immisit in eos mortem placidam ac lenem, miraculi causa quod futurum erat ut revelaretur. Et inscii suae migrationis et egressus animarum suarum una recubuerunt in terram quasi dormitione somni, et spiritum emiserunt, dum confessio in ore eorum erat; pecunia eorum apud eos posita erat, et pariter humi iacebant.

Mane autem diei *sequentis* rex de ipsis mandatum dedit et requisivit eos inter magistratus, in toto oppido, et undique, nec invenit eos. Et dixit rex: Valde adflictatus sum discessu horum iuvenum qui sunt optimatum filii. Putaverunt enim maiestatem nostram eis irritam esse ob delictum prioris eorum transgressionis; sed misericordia maiestatis nostrae delictum transgressorum qui ad deos misericordes convertuntur non

1 Gr.: τοὺς πρώτους. Vox syriaca deformatio est graecae πολιτευόμενοι. Eius strictum in hac locutione sensum definire nequimus; de officio tum civili tum militari adhibetur; in cod. Berolin. pro hac voce habemus ܠܪ̈ܘܪܒܢܐ ܕܡܕܝܢܬܐ « magnatibus urbis ».

recordatur. Responderunt primores oppidi et regi dixerunt: Propter iuvenes contumaces nolit contristari maiestas tua; quoniam adhuc, ubi sunt, in contumacia sua versantur, ut audivimus. Opportunitatem habuerunt suae pravae voluntatis manifestandae, in diebus quos eis ad poenitentiam concessit maiestas tua. Argentum et aurum suum in plateis urbis distribuerunt, et ipsi delituerunt; et ab hoc tempore non visi sunt.
* p. 142. Sed si * vult maiestas tua ut coram te se sistant, apprehendantur et urgeantur parentes eorum, et hi nos de illis certiores facient. His auditis, rex iratus est, et iussit parentes eorum arcessiri. Constituerunt eos coram rege. Et interrogavit eos rex, dicens: Ubi sunt contumaces illi qui rebellaverunt in cultum maiestatis nostrae, contempserunt mandata nostra tremenda, despectui habuerunt servitium nostrae maiestatis et etiam religionem deorum colendorum contempserunt? Iam iubeo vos pro illis mori, propter contumaciam eorum. — Responderunt autem parentes eorum, dicentes: Maiestatem tuam tremendam rogamus, domine; nam nos mandatum tuae maiestatis non contempsimus, et deorum colendorum timorem non dereliquimus. Quare mortem incurremus pro rebellibus qui argentum et aurum nostrum praedati sunt et distribuerunt; et ecce latent in spelunca quae est in monte Anchialos, loco qui ab oppido haud modicum distat; et ancipites sumus utrum vivant an mortui sint in tanto tempore quo nobis visi non sunt. — Tunc rex dimisit parentes eorum, et e conspectu eius recesserunt. Rex autem meditabatur quidnam iis confessoribus faceret. Ipso autem invito, Deus menti eius immisit consilium obstruendi lapidibus os speluncae, quasi in sepulturam corporum venerabilium et sanctorum; et non concessum est ei corpora somno sopitorum movere, qui a Deo in praescientia sua reservabantur ut, resuscitatione eorum, praecones resurrectionis dubitantibus aliquando sint proprio exemplo. Et dixit imperator: De illis contumacibus sic iubeo. Quoniam contempserunt mandata mea misericordia et mansueta et rebellaverunt in cultum deorum, gloriae maiestatis nostrae sint extranei, et non amplius appareant coram diis. Itaque speluncae in quam
* p 143. confugerunt * os integris lapidibus obstruatur, vita eorum crucietur, et misere in carcere moriantur in aeternum. — Puta-

bant enim imperator et universum oppidum confessores in suo carcere vivere. Athenodorus vero et Arbus[1] eunuchi[2] imperatoris, qui erant fideles christiani, sed ob timorem regis se celabant, consilium alter cum altero ceperunt, dicentes: Scribamus confessionem istorum confessorum tabulis plumbeis quae deponantur in theca aenea, et sigillo sigillentur, et clam intra lapides quibus os speluncae occludetur deponantur. Fortasse mandet Deus, ante adventum suum ut aliquo modo aperiatur spelunca, et corpora venerabilia et sancta qui in ea includuntur honorabuntur propter testimonium scripti in ore speluncae depositi. — Et ut cogitaverant sic fecerunt ambo isti fideles. Sigillaverunt scriptum et revera, in secreto utriusque, illud deposuerunt. Haec omnia, Dei dispositione facta sunt, completa et rata.

Mortuus est autem imperator Decius, et tota generatio illa; et plures imperatores regnaverunt successione regni usque ad domum Theodosii filii Arcadii, imperatoris fidelis. Si cupis, o sapiens, historia eorum beatorum delectari, i inferius ad tempus Theodosii filii Arcadii, et eam illic invenies, id est ad annum decimum Theodosii, quo anno accidit eorum resuscitatio et manifestatio resurrectionis eorum.

Decium autem imperatorem Deus, cum tempus vitae eius breviavisset, * tradidit in manus eorum qui animam eius quae- * p. 144.
rebant, et Abyrti[3] occisus est; et recepit tormentum quod Calumniatori et eius ministris reservatum est.

Et regnaverunt Gallus et Volusianus, duos annos et quattuor menses.

Anno 2269°, factus est sanctus Cornelius episcopus Romae, annos duos, et post eum fuit sanctus Lucius, menses octo; et post eum fuit Stephanus, annos tres.

Eo tempore conversus est fluvius qui Alexandriam magnam praeterfluit in sanguinem, et paullo post aruit, et solum eius exsiccatum est; et postquam ita per plures dies mansisset, coeperunt homines angustia angustiari ob penuriam aquarum.

[1] Gr.: Θεόδωρος δὲ καὶ ὁ Βάρβος. In cod. Berol. ܐܪܒܢܘܣ, « Arbanus ». — [2] Gr.: κουβικουλάριοι καὶ πιστοί. — [3] Sive Abrici; *Chr. pasch.*: ἐν Ἀβύρτῳ; de variis nominis formis, vide notam Ducangii (ad anni Chr, 253).

Tum Deus misericors eum fluere fecit secundum morem eius * p. 128. priorem.

Anno 2270°, Novatus scidit Ecclesiam et haeresim Novatianorum suscitavit [1]. Is autem Novatus dixit eum qui se consociavit aliquo modo adorationi idolorum aut sacrificiis, in persecutione a Decio excitata, non recipiendum esse in Ecclesiam, allegans verbum Apostoli dicentis: Si quis peccat postquam accepit baptismum, peccatum mortale est, et iam non est sacrificium quod offeratur pro peccato eius [2]. — Adversus hunc virum congregata est Romae synodus LX episcoporum, qui anathematizaverunt eum et ab Ecclesia eiecerunt, quia noluit a sententia quam tenebat resipiscere.

Item, eo tempore fuit pestilentia quae vastavit universam terram, maxime autem Alexandriam et Aegyptum. Et adeo vehemens et gravis fuit ut vix possent homines superstites alios sepelire. Invaluit autem praecipue in paganos, et magis quam in alias gentes; quia cum quis eorum morbo corripiebatur, propinqui eius eum relinquebant et fugiebant; et morie- * p. 145. bantur, et non aderat qui educeret et sepeliret aliquem * ex illis; ita ut domus, plateae, viae et porticus eis refertae erant; foetebant et putrescebant, et non erat qui sepeliret. Christiani autem, quantum poterant, quosdam eorum educebant et sepeliebant; per misericordiam virorum inter eos zelo ardentium, quantum poterant sepeliebant eos: dabant enim aurum, et fodiebant magnas foveas in quibus illos coacervabant. — Id autem in oculis paganorum christianos valde gratos reddidit; nam hi secundum legem suam mortuis non appropinquant.

Eo tempore congregata est synodus Laodiceae in urbe.

Et eodem anno sedem Antiochiae obtinuit sanctus Demetrius.

Anno 2271°, occisi sunt Gallus et Volusianus in foro Flaminii. Et regnaverunt Valerianus et Gallienus, annos XV.

Anno 2272°, persecutionem in Ecclesiam excitavit Valerianus.

Et eo anno Sapor, rex Persarum, adscendit in Syriam, quam populatus est et diripuit. Et Valerianus descendit cum ingenti exercitu ut eum debellaret. Et cum inter se concurrissent et

1 Cf. Eus., *Hist. eccl.*, VI, XLIII. — 2 Cf. *Hebr.*, X, 26.

praelium conseruissent, Valerianus devictus est, totus eius exercitus trucidatus est, et ipse captivus factus est. Et deduxerunt eum in Persiam, ubi servitutem serviit usque ad mortem suam. Et Cappadociam Persae vastaverunt dirueruntque, et non amplius habitata est; etiam Occidentem et Mesopotamiam depopulati sunt, et Ciliciam et Antiochiam destruxerunt. Et postquam in captivitatem abductus est Valerianus, quietem Christianis concessit Gallienus.

Anno 2273°, factus est episcopus Antiochiae sanctus Cyrillus, et Romae Eutychianus, menses octo, et post eum Gaianus, annos XV. Alexandriae stetit sanctus Theonas, annos XIX.

Eo tempore subversiones perniciosae Manichaeorum * mun- * p. 146.
dum invaserunt. Is autem Manes erat gente sua Arabs et Berberus [1]. Et regionem Aegypti ingressus est, et inquinavit, vitiavit corrupitque sua doctrina diabolica, sermone stulto. Mentem amisit et insanivit, et se devovit eis qui sibi similes erant. Voluit in se assumere similitudinem Domini nostri, et seipsum esse Spiritum paracletum proclamabat, et exaltatus est in insania sua, et sibi elegit duodecim discipulos in similitudinem Christi.

Anno 2276°, factus est Paulus Samosatenus episcopus Antiochiae.

Anno 2280°, factus est episcopus Alexandriae Maximus, annos IX. Et in ecclesia Romae fuit sanctus Dionysius. Hierosolymis fuit Hymenaeus.

Anno 2272° [2], congregata est synodus Carthagine [3] in Africa, diebus sancti Cypriani Carthaginis, et Mar Stephani Romae, Demetrii Antiochiae et Dionysii Alexandriae.

Anno 2284°, Paulus Samosatenus veram doctrinam adulteravit et haeresim Artemonis instauravit. Et adversus eum congregata est synodus Antiochiae, quae eum excommunicavit et deiecit, quia noluit resipiscere ab eo quod tenebat. Eius autem loco episcopus Antiochiae factus est Domnus.

Eodem tempore Antiochia Nova [4] aedificata est a Satur-

[1] Sed apud EUS. (*H. E.*, VII, XXXI) Βάρβαρος. — [2] Correctum (recentius?) e 2282. — [3] Χαρχηδών. — [4] Sic. Quae urbs Antiochia nova appellata fuerit ignoramus. Fortasse voluit significare Antiochiam noviter instauratam fuisse post ruinam supra memoratam?

nio (?)[1] stratego, qui etiam postea rex factus est et Apameae occisus est.

Anno 2280°, Gallienus Mediolani occisus est; et post eum regnavit Claudius annum et menses decem.

Noscuntur eo tempore pastores Ecclesiae: sanctus Cyprianus
*p. 147. Carthaginis, Stephanus Romae, *Firmilianus Caesareae, Gregorius et Athenodorus, fratres, episcopi in Ponto, Helenus Tarsi, Nicomas Iconii, Hymenaeus Ierusalem, Maximus Alexandriae, Theotecnus Palaestinae, Maximus Bostrae, Eusebius Laodiceae. — Etiam Anatolius pariter Laodiceae, doctrina philosophica laudbilis, clarus erat.

Anno 2287°, mortuus est Claudius, et regnavit Aurelianus, annos v et menses vi.

Eodem anno factus est episcopus ecclesiae Antiochenae sanctus Timotheus.

Anno 2291°, Aurelianum, cum paratus esset ut in nos persecutionem suscitaret, fulmen e caelo cohibuit; et etiam a custodia nova occisus est. Et regnavit Tacitus sex menses; et occisus est in Ponto. Et regnavit Florianus, menses tres, et occisus est Tarsi. Et regnavit Probus, annos vi et menses iv.

Anno 2292°, factus est episcopus ecclesiae Romae Felix, annos v.

Anno 2298°, factus est sanctus Cyrillus episcopus Antiochiae. — In ecclesia Romae stetit Eutychianus, menses octo; et post eum Gaius, annos xv. — Ecclesiae Alexandriae stetit *episcopus* sanctus Theonas, annos xix.

Anno 2299°, Probus Sirmii occisus est, et regnavit Carus cum filiis suis Carino et Numeriano, duos annos. Carus mortuus est in Mesopotamia. Numerianus ab eo[2] occisus est in Thracia, et Carinus pariter interfectus est in praelio cum Cornaco. Et regnavit post illos XXIII^us Diocletianus, annos xx. Et anno 3° regni sui consortem imperii fecit Maximinum
*p. 148. *Herculium[3].

[1] Ms.: STURUNIS; corruptum videtur e quodam nomine graeco, ut Σατύρονις, Σατυρνίνος, Σατυρικός, 'Αστυρήνης et similia. Fortasse corruptio pro *Stauracus?* Vir nobis ignotus. — [2] Sic ms.; sane quaedam exciderunt. *Chron. pasch.* (p. 274): σφάζεται ... ὑπὸ Ἄπρὸυ ἐπάρχου. — [3] Ms.: *Heraclium.*

Anno 2310°, regnavit Constantius, pater Constantini Magni in regione Britanniae[1], annos XII.

Anno 2313°, factus est episcopus ecclesiae Romae Marcellinus.

Eodem anno rebellavit terra Aegypti. Et venit ingens exercitus Romanorum qui circumdedit urbem eamque fame pressit. Quaedam autem pars civium copias Romanorum adiuvabat, et cum eis erat Eusebius, qui in urbe non inclusus erat, et apud ducem exercitus Romanorum libertate et fama famosa gaudebat. Cum autem Anatolius civitatis episcopus, populum urbis videret fame pereuntem, hac de re Eusebium certiorem fecit. Eusebius vero petiit a duce exercitus Romanorum, ut eis subveniret qui apud se exituri erant. Et cum id ei concessisset, id Anatolio significavit. Anatolius autem populo civitatis suadebat, [*ut cum* Romanis reconciliarentur, et eos] [2] non commovit; tum dixit eis: In hoc fortasse non mihi resistetis, ut senibus, vetulis, pueris et vulneratis e civitate exire permittatur, et inveniatur panis eis qui manebunt. Et ita vestitu muliebri viros induebant, qui noctu exibant. Et hoc modo salvavit unumquemque qui mortem effugere voluit. Denique a Romanis devicti sunt Alexandrini, et occisi sunt qui defectionis auctores fuerant.

Anno 2316°, factus est Zabdas episcopus Ierusalem, annos III; et post eum fuit Hermon. — In ecclesia Antiochiae fuit Tyrannus, et Alexandriae fuit Petrus qui gloriose postea martyrium passus est anno nono persecutionis.

Anno 2317°, * Veturius dux exercitus christianos qui in mili- * p. 149.
tia erant brevi persecutus est, et hinc persecutionem in omnes fideles invaluit.

Anno 2319°, fuit terrae motus vehemens in quo Tyri et Sidonis pars magna ruit; et multi in eo perierunt.

Anno 2320°, accidit eversio ecclesiarum.

Anno 19° sui regni, in festo Azymorum, rex Diocletianus edictum fecit quod in omnibus civitatibus divulgatum est. In

1 Ms.: ARNTIA; corrupt. ex ܒܪܛܢܝܐ censet Tullberg; verisimile. —

2 Verba evanida quorum sensum supplevimus ex EUS., *H. E.*, VII, XXXII.

eo praescripsit ut ecclesiae ad solum everterentur, libri *sacri* igne cremarentur, qui in honore essent ignominia afficerentur, et qui erant in servitute et liberati fuerunt, si perseverarent nec abnegarent *fidem* sua libertate privarentur; principes vero qui ecclesiis praeerant quovis loco in vincula conicerentur, et postea sacrificare cogerentur. Inter pastores, alii impares fuerunt prae timore, alii autem singulariter supplicia toleraverunt: sunt qui verbera, alii pectines, alii sartagines [1] passi sunt; alli bestiis obiecti sunt; alios in profundum maris proiecerunt; alii glacie et frigore coronam adepti sunt. — Nicomediae autem martyrium passi sunt Dorotheus, Petrus et Gorgonius cum multis aliis qui erant e domo regia [2]. Alii multi, qui numerum excedunt, gladio occisi sunt in plateis et ubique. Martyrium passi sunt Anthimus episcopus Nicomediae, et Lucianus [3]; Tyrannio episcopus Tyri, Silvanus episcopus Emesae, Zenobius episcopus Gazae, cum triginta novem aliis, quorum capita praecisa sunt et qui igne cremati sunt; Pamphilus episcopus
* p. 150. * Caesareae, Petrus episcopus Alexandriae cum aliis; Faustus, et Dius, et Ammonius, et Phileas, et Hesychius, et Theodorus episcopi ecclesiarum Aegypti, cum viris nobilibus. In lacu Sebastiae, XL viri simul coronati sunt; hi principes et nobiles optimates huius loci erant, et in glaciem lacus per totam noctem proiecti sunt; et postquam mortui sunt eos igne combusserunt. Sanctum Sergium et Bacchum currere fecit dux super acutos clavos [4] ferreos, et postquam omni genere tormentorum eos torsit, demum caput eorum amputavit Roṣaphae.

Anno 2321°, Diocletianus et etiam Maximianus imperium abdicaverunt; et eorum loco Maximianum ac Severum reges creaverunt. Mos est regibus Romanorum, ut cum aliquis eorum, quacumque de causa: sive ob timorem inimicorum, sive ob causam quamcumque, regimen abdicaverit, radat caput suum et abeat in suam domum, nec unquam amplius deinceps ad administrationem imperii accedat; et si secundum legem se gerit nemo est qui noceat ei. Hi autem ita fecerunt et deposuerunt diadema imperii.

[1] τήγανα. — [2] Cf. EUS., *Hist. eccl.*, VIII, VI — [3] Presbyter Antiochenus; cf. EUS., *Hist. eccl.*, VIII, XIII — [4] Clavi trabales instrumenta tormentorum, teste Horatio, olim fuerunt.

Anno 2322°, Constantius magno cum honore e mundo discessit ; et post eum regnavit Constantinus eius filius, annos XXXI et menses X.

Hic volo paullulum sermonem meum interrumpere, ut ostendam quae mirabilia faciat Deus per fideles suos et quae mala per ministros suos proferat Satanas.

Hic autem Constantius senior et Helena uxor eius fideles erant et Dei cultores. Toto tempore regni sui neminem persecuti sunt, sed * mites et benigni erga omnes videbantur. Et * p. 151
ita vita honorabili functus est Constantius, et discessit ex hoc mundo cum omnes eius benignitatem laudarent. Hic autem Constantinus filius eius non imitatus est fidem patris sui, sed omni tempore persecutor fidei christianae videbatur. Etiam cum plagam quamdam malignam haberet in corpore suo, non adactus est ut a malitia suae persecutionis desisteret; in suo zelo pro idololatria Saulem persecutorem imitabatur. Et summopere replebatur ira et caede erga omnes christianos, eos in carcerem coniciens, trucidans, cruci etiam affigens, et lapidibus obruens. Plaga quae erat in eius corpore magis invalescebat; lepra totum eius corpus invaserat, et odor foetidus, ad instar sepulcri cadaveribus pleni quod in omnem partem odorem exhalat, talis odor putredinis in omnem partem ab eo diffundebatur [1]; et propterea plenus erat minarum et caedis adversus eos qui deos non venerantur, ut quidem ipsi sanitatem corporis sui concedant. Is autem, cum videret cottidie corpus suum lepra tabescere et corrumpi, ad se convocavit omnes magos, incantatores, chaldeos et sapientes [2], tum qui intra tum qui extra dicionem eius erant.

Ex HISTORIA CONSTANTINI MAGNI [3]. — Quia vero lepra totus erat repletus, suaserunt ei sapientes quos convocaverat, ut adducat trecentos pueros parvulos, eos mactet et in sanguine eorum lavetur. Tunc citius misit Constantinus, secundum eorum pravum effatum, et multos infantes collegit. Et surrexit ut iret ubi immolandi erant, ut in sanguine eorum se

[1] Sententia minus limpida; fortasse imperfecta. — [2] Cf. DAN., II, 2. — [3] Cf. *Acta s. Silvestri,* in hac serie, t. V, et opera citata ibidem (versio p. 39, n. 6).

lavaret, comitante curia [1] eius per mediam civitatem. Dum progreditur clamorem gemitus magni [2] ...... audivit lamentationum, ita ut tota civitas commoveretur. His auditis, * [p. 152] rex ait: Quae est vox ista? — Dicunt ei: Matres sunt parvulorum quae filios suos dilectos lugent. — Tum conturbatus est rex, et lacrimans stetit et reversus est in palatium suum; vituperans consiliarios pravos immisericordes, ait: Carior mihi est vita istorum innocentium et purorum plus quam sanitas mei corporis. Ceteroquin, nec certus sum quod si lavavero in eorum sanguine mundabor a lepra mea. — Et iussit rex nummos dari matribus eorum, ut cum honore ad sua loca redeant. Deus autem christianorum bonus et misericors, cum videret eum id fecisse, illum ad se convertit; et cum noctu in lecto suo dormiret, misit ad eum duos ex suis discipulis, Petrum scilicet et Paulum. Apparuerunt ei in somnio eique dixerunt: Quia vidit Deus misericordiam tuam qua pepercisti pueris, ipse etiam tui misertus est nosque misit ut tibi fontem aquae ostenderemus, in quo cum lavaveris a lepra tua mundaberis. Sed arcesse Silvestrum episcopum, qui prae timore tui aufugit in montem et latet in spelunca; is veniet et monstrabit tibi fontem aquae, et cum in hunc descenderis mundus eris a lepra tua. — Cum autem expergefactus esset rex, quosdam misit quo ei indicaverant Apostoli, et adduxerunt Silvestrum. Surrexit rex obviam ei et eum magno cum honore excepit. Et interrogavit eum eique dixit: Suntne vobis dii qui vocantur Petrus et Paulus? Respondit Silvester: Petrus et Paulus non sunt dii, sed servi sunt Dei. — Dixit rex: Habetisne eorum imagines? Afferte mihi ut illas videam. Et cum attulissent ei, ait: Nihil accuratius his imaginibus. Hac enim forma mihi apparuerunt et mecum locuti sunt, ut mitterem * [p. 153] te arcessere ut mihi fontem aquarum monstrares. — Silvester dixit: De aquis baptismi tibi locuti sunt. Si credideris in Deum nostrum et descenderis in has aquas nomine eius, cum lepra corporis tui etiam lepram peccatorum tuorum exues. — Dixit rex: Nisi crederem non ad te misissem. — Silvester dixit ei: Ieiuna hac hebdomade et deprecare Deum ut condonet tibi quae in servos eius fecisti;

1 τάξις. — 2 Aliquot voces perierunt.

et impera ut ecclesia aperiatur et claudantur templa idolorum mutorum et caecorum; iube christianos quos in carceres coniecisti liberari; manda ut eis qui nihil habent ex aerario publico subveniatur, et eleemosynas fac pauperibus. — Rex autem haec omnia fecit, prout iussus fuerat. — Cum autem advenisset sancta dies dominica, regem duxerat Silvester ad baptisterium. Dicit ei: Aquae istae, o rex, peccata dimittunt et gratiam caelestem conferunt ei qui ex toto corde suo credit eique aeternam vitam parant. Et eum descendere fecit Silvester in piscinam; et propter magnam fidem regis tota inflammata est quasi lampas ignis, et quasi sartaginis [1] ebullientis sonitus eius auditus est. Et tota lepra regis ab eo discessit, et apparuerunt aquis supernatantes quasi squamae piscium. Et factus est totus tanquam puerulus ablactatus; et secundum mutationem quam vidit in suo corpore, confirmatus est et credidit in remissionem peccatorum et in vitam mundi novi. Dein, post baptismum [2] ...... [rex] et ait: Hic erat Deus verus; si enim non esset deus qui me creavit, sane non potuisset me renovare. Is solus adoretur, et aberratio quae usque ad hanc diem *viguit* finem accipiat. Et cum * multa locutus esset de religione, de adoratione unius * p. 154
Dei et de abolitione cultus deorum factitiorum, glorificaverunt illum optimates eius et universa civitas. Et iussit celeriter aedificari ecclesiam magnam et spatiosam Constantinopoli.

Haec evenerunt anno octavo huius regis Constantini, filii Constantii.

Anno 2324°, mortuus est Maximinus rex Romae, et regnavit Maxentius, filius eius, annos sex.

Anno 2325°, mortuus est Severus, et regnum eius obtinuit Constantinus.

Eo anno etiam vicit Maximinum, regem Occidentis, et eius regnum occupavit rex Constantinus. Fecit autem sibi consortem regni Licinium, affinem suum, maritum sororis suae Constantinae. Maximinus enim rex Syriae crudeliter et sine misericordia christianos persequebatur. Et quidem ita sine misericordia christiani ab eo vexabantur, et ille eorum pastores occidebat et in exilium mittebat, sacerdotes vero et universum

1 ὡσεὶ τηγάνου βράζοντος — 2 Tres voces perierunt.

populum in vincula coniciebat; ecclesias, altaria et templa omnia diruebat et evertebat, et usque ad fundamenta deiciebat, et opes eorum rapiebat: et cum ita cruciaret filios Ecclesiae, adduxit Deus in eum afflictionem torquentem quae ad animam eius usque progressa est. Repente enim in occultioribus corporis membris abscessus ei natus est, et postea ulcus profundum, id est fistula; et inde fuit cancer insanabilis in visceribus eius, ex quo sine interruptione defluebat vermium multitudo. Et dein, postquam tabuit, horrorem indicibilem ei adstantibus causabat adspectus eius. Tum medici qui foeti-
* p. 155 dum eius odorem sustinere non poterant, * sine misericordia interficiebantur. Cum autem in tot aerumnis versaretur, percepit se eis affligi propter ea quae in servos Dei fecerat. Propinquis suis praecepit ut citius quiesceret persecutio adversus christianos, et ut mandato regio eorum ecclesiae quantocius ex aerario regali aedificarentur, et quas alicui earum erepta essent, omnia eis restituerentur, et episcopi sacerdotesque ad eas redirent. Confestim opus sermonem subsecutum est ; et honorati sunt *christiani* ornatu et laude magis quam antea, ita ut Iudaei, et pagani, et omnes gentes, cum viderent eorum gloriam, conversi sunt et facti sunt christiani, confitentes non esse Deum alium praeter hunc. Maximinus vero, dum confitetur Deum coram omnibus, mortuus est, et regnum eius obtinuit Constantinus. Etenim is Maximinus tertius, exorto bello inter ipsum et Constantinum, propter persecutionem in christianos, cum acies ex adverso [1] instructae essent, id est exercitus ipsius tyranni et exercitus Constantini, ipse tyrannus in domo latebat. Accepit a Deo poenam qua dignus erat, et subito totum eius corpus percussum est, acerbo dolore cruciatus est et profligatus est atque fame periebat; totum eius corpus igne occulto conflabatur ; species eius corrupta erat, cerebrum solum vivebat ; oculi eius exsiluerunt et e sedibus suis avulsi sunt, et caecus remansit. Et dum confitetur haec sibi contigisse propter ea quae fecit in servos Dei, eum reliquit anima eius.

* p. 156 Armenia interior, cum non ferret eius persecutionem, * defecit ab eo ; et misit in eam magnum exercitum, qui totus illic

[1] Hic in cod. exarata sunt inepte quae infra tradimus, p. 119.

periit. Totus autem exercitus qui remansit dexteram pacis sine proelio dedit Constantino ; ab eis autem qui tyranno adhaeserant vindictam sumpsit Deus prout meruerant. Et cum diebus horum tyrannorum non fuisset fames, neque pestis, neque bellum, ecce subito haec omnia evenerunt: fames, pestis et bella multa. Totus exercitus in Armenia periit. Qui erant in agris fame perierunt, et qui habebant alimenta peste perierunt. Adeo aggravata est fames, ut modius tritici MMD nummis venumdaretur.

Maxentius autem, qui superstes fuit ex his scelestis et Romae regnabat, omnes praedecessores suos malitia sua superavit. Constantinus autem cum audivisset de illo, misertus est eorum qui Romae vexabantur ; invocavit Deum in auxilium, et celeriter gressus est ut cum illo consereret proelium ; et ita cum agressus esset primum, secundum et tertium exercitum tyranni, auxilio Dei oppressit eos. Cum autem Romam perveniret sollicitudine premebatur ne ob tyrannum cogeretur cum Romanis pugnare; sed Deus, quasi vinculis ferreis tractum, eduxit eum extra civitatem. Et cum impetum faceret, devictus terga vertit. Et coeperunt, ipse et qui cum eo erant, transire pontem qui fluvio impositus erat; sed postquam ingressi sunt et repletus est pons, eius vincula rupta sunt et rates hominibus refertae profunda altitudine submersae sunt: et ita periit is impius tanquam plumbum in aquis copiosis. Hoc autem mortuo, cives romani Constantinum magno cum honore exceperunt. Et libertate donavit Constantinus omnes christianos anno octavo * regni sui. * p. 157

Eodem tempore, descendit Helena regina Ierusalem, ut eam aedificaret et de inventione crucis Christi perscrutaretur; quia hac de re in somnio visionem habuerat [1]. Illa cum descendisset Ierusalem invenit eam, Ierusalem antiquam scilicet, devastatam, sicut a propheta dictum fuit, et ibi sepulcrum Christi, ex quo surrexit postquam sepultus est, sollicite indagabat; et etiam si cum difficultate tamen gratia Dei invenit. Quaenam esset causa difficultatis, paucis dicam. Omnes qui in Christum crediderant, post passionem hunc locum venerabantur ; sed

[1] Cf. SOCR., I, XVII; unde haec fere ad verbum excerpta sunt.

qui adversarii erant locum inquinaverunt et etiam ibi templum Aphroditae, tanquam in contradictionem, exstruxerunt, et eius statuam supra sepulcrum erexerunt, oblivioni memoriam huius loci tradere volentes. Hoc quidem olim factum erat et adhuc perstabat. Matri autem regis tunc innotuit, et illa imaginem immundam deiecit, et fodit et locum sanctum detexit. Et postquam eum purgavit et aperuit sepulcrum, in eo invenit tres cruces, unam Domini nostri et duas duorum latronum; invenit etiam tabellam quae variis scripturis Christum regem Iudaeorum proclamabat. Regis autem mater cum nesciret quae sit crux veneranda, in summo angore erat. Mulier autem quaedam regionis a diuturno tempore morbo tenebatur et iam in eo erat ut moreretur. Macarius civitatis episcopus mandavit ut deferrentur cruces et, una post alteram, huic mulieri imponerentur. Postquam autem ei admotae sunt duae cruces latronum et nihil commodi obtinuit, sed sicut antea animam emittere parata erat, * p. 158 tunc admoverunt tertiam, quae erat Christi, et statim * mulier illa e morte ad vitam conversa est et sanata fuit. Hac autem ratione crux salutifera nota est. Tum mater regis templum magnum supra sepulcrum aedificavit, et Ierusalem novam [1] e regione antiquae condidit. Et crucem salvatricem divisit: partem eius in cista argentea honorifice deposuit et reliquit in gratiam eorum qui postea venturi essent ut eam ibi viderent ; partem alteram tulit et ad regem misit. Etiam clavos qui infixi erant manibus eius (Christi) rex accepit: illos enim etiam in sepulcro invenit regina et eos ei misit ; ex eis fecit galeam capiti suo, et frenum equo suo ; et tempore belli eis utebatur [2]. Ipse autem rex aurum copiosum Macario miserat, pro ecclesiis quae a matre sua conditae fuerant, et eum urgebat ut in aedificatione earum procederet. Ierusalem novam Helena condidit, et Bethlehemi ecclesiam in loco Nativitatis fecit, et etiam *aliam* in monte ubi facta est Adscensio. Adeo modesta erat ut etiam cum reliquis mulieribus communi coetu preces persolveret. Pariter, virgines illas, quae ordini

1 Cf. Eus., *Vit. Const.*, III, xxxiii. Hic sensus videtur esse urbem post destructionem supra memoratam noviter restitutam fuisse. — 2 Cf. Sozom., II, i, ii.

ecclesiae adscriptae erant, cum vocaret ad delectabile convivium, ipsa propriis manibus ministrabat eis, et obsonia ante eas mensis apponebat. Multa etiam de suis ecclesiis et pauperibus erogabat. Postquam autem in omni timore Dei hanc vitam suam duxit, in termino annorum octoginta ex hoc mundo decessit. Corpus autem eius deduxerunt ad civitatem regiam, Romam [novam], et illic in sepulcro regum sepeliverunt.

Explicit chronicon quod ex Eusebio desumpsimus, cum variis argumentis, quae ex multis partibus collegimus, ad peragendam * viam in qua gradimur. — Deinceps, ex Socrate scriptore * p. 159 sumpturi sumus.

Anno 614° Alexandri [1], Edessa ab aquis devastata est. Rupti sunt muri eius orientales, et ruerunt. Et rapuit *eluvies* atque abduxit quidquid in civitate erat, et in ea fecit exundatio damna magna hominibus et iumentis, etiam in tota planitie Edessae et Ḥarran.

Eodem tempore [2], Constantinus aedificavit Drepanum civitatem et Helenopolim eam appellavit de nomine Helenae matris suae. Aedificavit rursum Constantinam quam *sic* appellavit de nomine suae sororis Constantinae. Aedificavit etiam Byzantium et eam appellavit de suo nomine Constantinopolim; et eam constituit sedem imperii sui.

Anno 2335°, Licinius christianos qui erant in palatio persecutus est. — Eodem anno fuit terrae motus, et multis locis damna ingentia causavit.

Anno 2342°, occisus est Licinius et Constantinus imperii solus potitus est.

Anno 2346°, fuit terrae motus quo multa loca Coi *insulae* corruerunt.

Colliguntur omnes anni ab Abrahamo ad annum 28um Constantini, MMCCCL ; — et a diluvio ad Abrahamum, anni DCCCCXLII ; — et ab Adamo ad diluvium MMCCXLII ; — qui simul sunt omnes VMDXXVI [3].

[1] Haec eadem manu ac reliqua pars codicis anterior scripta sunt, sed non suo loco; cf. supra, p. 116, n. 1. — [2] Cf. SOCR., *Hist., eccl.*, I, XVIII. — [3] Sic ms. Si autem summam singularum periodum computaveris invenies annos VMDXXXIV.

Hic erat annus Alexandri 657us.

* p. 160 * RURSUM, EX HISTORIA SOCRATIS. Narratio alia compendiose [1] scripta.

Anno 610° [2] Alexandri Macedonis, regis Graecorum, Arius scidit ecclesiam. « Deus, enim, inquit, non semper fuit pater [3], sed tempus exstitit cum Deus non esset pater ; et non semper fuit Verbum Deus, sed ex nihilo factus est. Ille enim qui est Deus illum, qui non erat, ex eo quod non est, fecit. [4] Proinde etiam aliquando non exstitit. Creatura enim et opus est filius, neque vero similis est Patri secundum essentiam, neque verbum verum et naturale Patris, neque sapientia eius, ut dicit Salomo ; sed unus est ex operibus et creaturis [5]. Abusive autem Verbum et Sapientia (dicitur, nam) factus est ipse per verbum proprium et per sapientiam quae in Deo est, qua omnia et etiam illum fecit Deus. Quapropter conversioni et mutationi obnoxius est natura sua perinde ac reliqua rationalia. Extraneum enim et alienum ac remotum est Verbum ab essentia Patris ; et absconditus est Filio Pater. Non enim perfecte et adaequate cognoscit Verbum Patrem, neque eum perfecte videre potest ; neque substantiam hypostasis eius noscit Filius, sicuti est. Propter nos enim factus est, ut nos per ipsum, tanquam per instrumentum, crearet Deus ; nec unquam exsti-
* p. 161 tisset nisi Deus nos * creare voluisset. Interrogante eos quodam utrum Verbum Deum [6] mutari possit, sicuti etiam mutatus est diabolus, non veriti sunt respondere : « potest ; mutabilis est natura eius, utpote quae creata sit. » Etiam, addiderunt et dixerunt : « Si Pater genuit Filium, initium existentiae habet qui genitus est, et hinc evidens est quod fuit tempus cum non esset Filius ; itaque necessario consequitur ex nihilo habuisse existentiam.

Suscitatores autem huius haeresis hi sunt : Arius et Achillas, et Aithallas, et Carpones, et alter Arius, et multi alii, cum Eusebio Nicomediae et Theognio Nicaeae. Pugnaverunt autem adversus eam, primum sanctus Petrus episcopus Alexandriae,

[1] ἐν κεφαλαίῳ. — [2] Numerus e 620 correctus. — [3] Cf. SOCR., I, VI. — [4] Sic intelligenda sententia, iuxta Socratem. — [5] γενητῶν. — [6] In gr. ὁ τοῦ Θεοῦ Λόγος.

et post eum Achillas eiusdem Alexandriae, et rursum Alexander cuius diebus synodus Nicaeae congregata est.

Anno 615°, iussit imperator ut everterentur templa idolorum et sculptilia confringerentur.

Anno 616°, gens Homeritarum per mulierem captivam ad fidem christianorum adducta est.

Anno 617°, operam dedit imperator Constantinus, ut aedificarentur ecclesiae praeclarae [1]. Earum una est in loco qui vocatur Quercus Mambre, sub qua Abrahamus angelos excepit. Didicerat autem imperator aram paganorum hoc loco erectam esse et sacrificia paganorum offerri.— Aliam autem iussit aedificari in Balbek (Heliopoli), ob huius modi causam. Incolis huius civitatis quis fuerit olim legislator non valeo dicere .. [2]. Talis * erat eorum consuetudo, ut uxores eorum * p. 162
sint communes : quam ob causam incertum est apud eos cuiusnam sit filius qui nascitur. Parentum enim et liberorum nulla erat distinctio [3]. Filias enim suas virgines peregrinis transeuntibus tradebant, qui cum illis fornicarentur. Hanc autem consuetudinem, quae ab antiquo apud eos vigebat, imperator abolere studuit ; et per honestam legem eripuit eos eorumque filias e turpitudine, utque eorum familiae seipsas cognoscerent effecit. Et quidem aedificavit ecclesiam iussitque ibi constitui episcopum et clericos et sacerdotes. Et huius modi dispositione ut pessimi mores Heliopolis removerentur praecipue procuravit.

Eodem tempore, cum demolitus esset fanum Aphroditis, in Aphacis [4] Libani, mensas cibi sordidas [5], quae ibi erant, confregit, quae vocantur iubilationes [6].

Anno 618°, fuit institutio *christiana* populi Indorum.

Rursum autem mentionem faciamus qualiter diebus huius imperatoris, christianismus in omnes plagas propagatus sit [7]. Hisce enim temporibus, etiam gentes interiorum Indorum et Iberorum vere ad fidem christianam venerunt. Ad quid illud « interiorum » sermoni meo addiderim, breviter dicam. Cum

[1] Cf. Socr. I, xviii. — [2] Deest vox una, et locus perturbatus est ; cf. Socr., I, xviii. — [3] διάκρισις — [4] ἐν Ἀφάκοις — [5] ἀῤῥητοποίας. — [6] Sensus esse videtur vocis lexicis ignotae. — [7] Socr., I, xix.

Apostoli per sortes profectionem suam ad gentes statuerunt, Thomas apostolatum apud Parthos acceperat et Matthaeus ad regionem Aethiopiae missus fuerat, Bartholomaeo autem obtigerat India quae Aethiopiae confinis est. India itaque interior illa est cui confines sunt et quam incolunt gentes barbarae quae linguis diversis utuntur. Huic autem, ante tempora Con- * p. 163 stantini, * fides christiana nullo modo illuxerat.

Quae autem sit causa, quae eos nunc ad fidem christianam adduxit, iam etiam dicam. Meropius quidam philosophus fuit, genere Tyrius ; studio movebatur visendi hanc Indiam et de ea narrandi ; aemulabatur enim Metrodorum philosophum, qui antea id fecerat. Sumpsit secum duos pueros e suis cognatis, qui et ipsi in eloquentia Graecorum versati erant, et cum eis in Indiam profectus est. Postquam totam perlustravit, et totam contemplatus est prout voluerat, propter indigentiam victus appulit navis eius ad quemdam locum in quo erat portus. Contigit autem ut foedus pacis quod Romanos inter et Indos erat, mox rumperetur. Et apprehenderunt Indi hunc philosophum et eos qui cum eo navi vehebantur et, exceptis duobus pueris, cunctos interfecerunt. Hos autem pueros servaverunt quia miserti sunt super adspectum eorum, et eos munere obtulerunt regi Indiae. Rex autem cum delectaretur adspectu puerorum et perspectam haberet eorum intellegentiam, unum cui nomen erat Aedesius, pincernam mensae suae fecit ; alterum, Frumentium nomine, chartularium palatii constituit. Paulo post cum iam moriturus esset rex, filio adhuc parvulo et uxori negotia regni reliquit. Illa autem uxor regis, de filio parvulo quem habebat eos rogavit ut curam haberent donec ad virilem aetatem pervenisset. Et cum ei obtemperassent iuvenes, iam * p. 164 administrationem negotiorum regni in se susceperunt. * Sed rebus omnibus moderabatur Frumentius. Sollicitudinem habebant inquirendi de mercatoribus qui in hanc regionem se conferebant ut si invenirent quemdam christianum cum eo convenirent. Et quidem invenerunt *viros qui* ab eis didicerunt res apud ipsos gestas. Iam *hos* hortabantur ut loca quieta deligerent ut in eis christianas preces adimplerent. Paullo post etiam templum, domum orationis aedificarunt ; et quosdam ex Indis edocuerunt et induxerunt ut secum in orationibus congregarentur.

Et postquam puer regis filius ad perfectam aetatem venisset, Frumentius et eius socius tradiderunt ei negotia, quae probe ab eis administrata fuerant, et ab eo veniam petierunt redeundi in suam patriam. Rex autem et mater eius ut remanerent eos hortabantur, sed cum illi non persuasi essent, eorum voluntati annuerunt. Et iam amore patriae inde discedebant. Aedesius itaque cum cupidus esset videndi parentes et familiam suam Tyrum citius contendit. Frumentius vero Alexandriam se contulit, et episcopum huius loci edocuit quaecumque apud ipsos acciderunt, etiam ei exposuit eorum profectum in Indiam et paratos esse Indos ut fidem christianam susciperent. Et rogabat eum ut ibi episcopum et clericos mitteret et non negligeret homines qui volunt et possunt vivificari. Ille autem episcopus secum reputans quid proficuum esset, ipsi Frumentio persuasit ut in se episcopatum loci susciperet, dicens « nemo invenietur * eis aptior quam tu ». Ipse autem Frumentius, * p. 165 dignitate episcopali auctus, in regionem Indiae reversus est, et praedicator christianae doctrinae ibi fuit. Et aedificavit templa plurima ; et gratia divina dignus habitus est, ita ut etiam signa multa faceret, et plurimorum animas simul ac corpora sanaret.

Eo tempore noscebatur Antonius monachus, et Paulus eremita primus. Noscuntur patriarchae : Alexander patriarcha Alexandriae. Romae noscitur Iulius patriarcha ; Antiochiae Eustathius patriarcha ; Constantinopoli Astrophilus (?) patriarcha. Hierosolymis noscitur Maximus. Noscuntur autem etiam Hosius episcopus Cordubae civitatis Italiae [1], et Paphnutius episcopus cuiusdam civitatis Thebaïdis.

Anno 619°, mortuus est Astrophilus (?) patriarcha Constantinopolis, et fuit eius loco sanctus Patrophilus.

Anno 621°, fuit terrae motus vehemens qui multis locis ruinas magnas fecit.

Et anno 624°, fuit bellum Licinium inter et fautores Constantini. Licinius autem, qui cum eo regnabat, cum paganorum opiniones teneret, christianos odio habebat [2]; ut autem adversus eos persecutionem palam concitaret, ob metum imperatoris Con-

[1] Sic ms. — [2] Socr., I, iii.

stantini non audebat ; multis tamen occulte parabat *insidias.* Post autem breve tempus etiam aperte eos laedere ausus erat et iam bellum hic illic parabat cum minime effugeret
* p. 166 * imperatorem Constantinum quod haec et alia tyrannice agebat. Et hac quidem de causa in magnam angustiam et in inimicitiam adversus eum imperator Constantinus commotus est. Et iam in pugnis erant continuis, sublata e medio amicitia simulata quae *eos* involvebat. Et post breve tempus ut se invicem bello appeterent moti sunt ; et multis praeliis mari terraque consertis, tandem ad Chrysopolim Bithyniae, quod est unum e navalibus Chalcedonis, devictus est et se tradidit Licinius tyrannus. Quem cum vivum teneret Constantinus eius misertus est, nec supplicio affecit eum ; et eum Thessalonicae quiete habitare iussit [1].

Et anno 622°, is tyrannus congregavit sibi quosdam barbaros et conabatur cladem suam in victoriam convertere : quod cum didicisset imperator eum tollere sollicitus erat ; et, ipso iubente, occisus est *Licinius.*

Hoc autem tempore noscitur Manes haereticus. Et undenam sit dicturi sumus. Verum, inter bonum frumentum etiam zizania oriri solent [2]. Invidia enim pulcris rebus insidiari amat. Ortus est, paulo ante tempora Constantini, e vero christianismo christianismus paganicus [3], quemadmodum prophetis pseudoprophetae et apostolis pseudoapostoli se iungebant. Tunc enim doctrina Empedoclis [4], qui inter Graecos philosophus vocatur, tanquam christianismum seipsam exhibebat, per Manem [quemdam, de quo Eusebius in libro] septimo suae historiae [nobis mentionem reliquit] ; sed cum non sit perfecta
* p. 167 eius narratio, ideo necesse * mihi visum est ut quod supra omissum fuit supplerem; notandum est enim quis et undenam sit Manes. Arabs quidam, Scythianus nomine, uxorem habuit captivam e superiore Thebaide oriundam. Et cum eius gratia in Aegypto habitaret et Aegyptiorum disciplina imbutus esset doctrinam Empedoclis [et] [5] Pythagorae in christianismum invexit ; et dixit duas esse naturas, bonam et malam, perinde

[1] Socr., I, iv. — [2] Socr., I, xxii. — [3] Gr. ἑλληνίζων. — [4] Cod. : « Proclis ». — [5] Coniunctio hic omissa ; cf. l. 17 (textus).

ac in doctrina Empedoclis; malam appellabat discordiam [1], bonam autem amicitiam [2]. Huius Scythiani discipulus fuit Buddas, qui antea Terebinthus appellabatur. Et libros illos ab eo compositos, eis quos eorum ope deceperat tradebat: qui *libri* argumento dicuntur christianismum docere, sed doctrina paganismi repleti sunt. Multos deos colendos esse monet Manes, eo quod ipse esset atheus ; et solem docet adorandum ; et fatum introduxit ; et corporum transmutationem [3] proclamat ; et aperte doctrinas Empedoclis et Pythagorae ceterorumque Aegyptiorum secutus est. Christum in carne exstitisse non admittit, sed eum in phantasia [4] apparuisse dicit. Legem et prophetas reiicit, seque Paracletum appellat. Haec omnia, ab Ecclesia orthodoxa aliena, produxit. Etiam seipsum apostolum nominare ausus est. Sed eius tanta falsitas et impietas congruum iudicium recepit, ob huiusmodi causam. Filius regis Persarum, in morbum [forte] inciderat [5], et eius pater, ut ita dicam, omnem movebat lapidem ut filius suus a morbo * sana- * p. 168
retur. Audivit de Mane, et cum ratus esset vera quae de seipso blaterabat, misit et eum accersivit tanquam apostolum, sperans fore ut eius opera filius suus sanaretur. Ille venit furtiva specie quam possidebat indutus. Statim traditur ei filius regis. Sed cum videret rex filium suum iam mortuum esse inter manus eius, hominem carcere inclusit, paratus eum capitali poena afficere. Manes autem inde aufugit, quocumque medio, et in Mesopotamiam se recepit, sed cum etiam ibi prosecutus esset rex [Persarum, eum apprehensum reduxit][6] e Mesopotamia, eum excoriavit et cutem eius paleis oppletam ante portam civitatis appendit, in spectaculum transeuntibus [7].............. ubi laborat homo inde suam mercedem accipit.

Anno 636°, congregata est synodus Nicaeae. Stabilitores huius synodi hi sunt : Hosius episcopus Cordubae ; Alexander patriarcha Alexandriae ; Iulius Romae, per suos vicarios Vitonem et Vincentium presbyteros ; Paphnutius Thebaidis, et Spiridio

[1] Gr. νεῖκος. In textu nostro « victoriam »; syrus interpres videtur perperam legisse νῖκος (= νίκη) pro νεῖκος. — [2] Gr. φιλίαν — [3] Gr. μετενσωμάτωσιν. — [4] φάντασμα. — [5] περιπεπτώκει. — [6] E Socr. supplevi. — [7] Desunt aliquot voces.

Cypri. Maxime autem ibi innotuit fortitudine Athanasius diaconus Alexandriae. Et excommunicavit eiecitque ab Ec-
* p. 169 clesia Arium * et omnes qui eius opinioni adhaerent : Eusebium Nicomediae, et Theognim Nicaeae, et Marim Chalcedonis, et plures alios cum eis.

Anno 637°, mortuus est sanctus Alexander, episcopus Alexandriae, et eius loco suffectus est Athanasius huius loci diaconus.

Anno 639°, mortuus est Patrophilus episcopus Constantinopolis, et ei successit sanctus Alexander.

Eo tempore noti erant Eustathius Antiochiae et Maximus episcopus Hierosolymorum.

Anno 640°, congregata est synodus Antiochiae, quae eiecit Eustathium Antiochiae. — Et fuit in hac urbe terrae motus adeo vehemens, ut fere tota civitas iam prope esset ut evertatur et pereat. Et ob dissensionem episcoporum sedes antiochena sine episcopo mansit octo annos. Tunc institutus est, ab eis qui opinioni Arii adhaerebant, Euphronius.

Anno 641°, fuit terrae motus vehemens qui loca plurima destruxit.

Anno 643°, Aithallas factus est episcopus Edessae. Is aedificavit coemeterium et latus orientale ecclesiae.

Et anno 642°, Constantinus filios suos Caesares nuncupavit; Constantinum filium suum natu maximum praefecit locis orientalibus ; et is aedificavit Telam Mauzalat in Mesopotamia, quam de suo nomine Constantinopolim appellavit. Aedificavit etiam Amidam civitatem Mesopotamiae. — Filium secun-
* p. 170 dum regnare fecit in loca occidentalia : huius nomen * Constantius; tertium autem, cui nomen Constans, Romae [1].

Anno 64. [2], ... calumnia .... ; et quia non decet ut silentio [premeretur] ...., et cursu celeri pauca tibi dicam de isto [impio]. — Satanas qui semper vasa sua facit eos qui ...... in eorum perditionem ...... ut per eos voluntatem suam et opera sua perficiat.

1 Cf. Socr., I, xxxviii, s. f. — 2 Exciderunt monades, necnon plurimae voces e lineis quattuor primis huius paginae ita ut tota pericope incerta remaneat.

Eo tempore prodierunt in Ecclesia Eusebius episcopus Nicomediae, et Theognis episcopus Nicaeae : quos non episcopos decet vocare, sed calumniatores seu antichristos, ob scissiones, contentiones, perturbationes et mala plurima quae fecerunt in Ecclesia sancta et in populo Dei. Hi, quia opinionem Arii amplexi erant, multis malis affecerunt sanctum Athanasium Alexandriae, et Paulum Constantinopolis, quia Arium impium non receperunt. Calumniam adversus hunc *Athanasium* struxerunt et ad imperatorem detulerunt dicentes : « Quidquid dedit imperator hospitio[1] pauperum Alexandriae, is sibi rapuit » . Et rursum aliam calumniam in eum texerunt, et miserunt ad imperatorem viros qui dicant : « Prohibet [dari] frumentum quod ab Alexandrinis δημοσίῳ conceditur. » Et postea rursum dixerunt : * Adversus imperium insidiari * p. 171
studet. Demum manum cuiusdam mortui attulerunt et dicunt ab Athanasio sumptam ut eius ope magicam artem exerceret.

Anno 645°, imperator synodum episcoporum Tyri[2] congregari iussit; et dein exinde in novam Hierosolymam transferri praecepit, ut ibi festum dedicationis agerent templumque quod eo loco aedificavit, consecrarent, et causam Athanasii sedulo probarent. Sanctus autem Athanasius in omnibus innocens inventus est, quia praesentia Arsenii demonstrationem fecit et testimonium reddidit. Etiam monstravit ambas manus suas quae a corpore suo minime amputatae fuerunt : nam ipsius manum esse dicebant. Deus autem etiam invitum Arsenium ad synodum adduxit, quia cupidus erat videndi propriis oculis fraudem quam machinaverat[3].

Anno 644°, aedificata est Hierusalem nova, ab Helena Constantii uxore et Constantini magni matre.

Anno 646°, Alexandria expulsus est sanctus Athanasius, non propter fidem, sed ob calumniam quam in eum struxerunt episcopi, eo quod non receperat Arium.

Colliguntur omnes anni, ab anno 15° Tiberii et manifestatione Salvatoris nostri ad annum 28um imperatoris Constantini, anni 646. — Et ab anno 2° Darii in quo instauratum est

[1] Vox dubiae lectionis et significationis. — [2] Ms. : Tarsi. — [3] Socr., I, xxix.

* p. 172 Templum hierosolymitanum *, anni 855. — A Salomone et prima Templi hierosolymitani aedificatione, anni 1367. — A Moyse et primo Atheniensium rege Cecrope, anni 1845. — Ab Abrahamo et imperio Nini et Semiramidis, anni 2350. — A diluvio ab Abrahamum sunt anni 942. — Ab Adamo ad diluvium 2242.

Universum tempus horum annorum occupat 5034 *annos*.

Anno 646°, Arius in Ecclesia receptus est ; mandavit imperator Alexandro Constantinopolis ut eum in communionem reciperet, et ipse impius Eusebius Nicomediae ei minatus est, nisi reciperet Arium, se eius depositionem procuraturum. Sanctus autem Alexander ad sacrum altare cucurrit, et sub mensa sacra in faciem se prostravit. Et ita dicebat in oratione sua, quod si futurum erat ut fides Arii confirmaretur, ad diem pro disquisitione statutam ipse non perveniat neque *illam* videat ; sed si vera sit fides quam ipse profitebatur, suae impietatis citius poenam luat Arius, qui causa erat totius mali [1].

Arius autem et Ecclesiam et imperatorem decipere voluit [2]. Charta enim scripsit quid credat, et hanc chartam sub ala

* p. 173 * deferens, iuramentum imperatori fecit dicens : « Vere ita sentio uti scriptum est » ; dum fidem *rectam* alia charta consignatam porrigit imperatori. Erat autem dies sabbati ; et iussit imperator eum in communionem recipi. Egressus est igitur ut adiret [Alexandrum; dum fautores] Eusebii honorifice [eum deducunt] cum pompa, incedebat [per mediam] civitatem. Cum pervenirent ad plateam quae Forum Constantini vocatur, ubi est columna quae porphyrea dicitur, subito quidam terror e conscientia Arium cepit, et cum terrore simul relaxatio et solutio alvi. Cum autem percontatus esset de latrinis et didicisset ubi invenirentur, statim post Forum ad alvum exonerandam processit. Mox magna animi angustia apprehendit eum et una cum excrementis etiam sanguis copiosus exiit, et postea subsequutus est fluxus tenuium intestinorum et simul solutio splenis et iecoris. Et ita continuo mortuus est.

[1] Socr., I, xxxvii, s. f. — [2] Socr., I, xxxviii.

Illae autem latrinae usque hodie Constantinopoli exstant, in porticu quae Macellariorum dicitur [1]. Et qui ad locum perveniunt in eas digitum intendunt, commoti recordatione talis mortis huius viri. Haec fecit oratio Alexandri.

Anno 649°, mortuus est Constantinus magnus et susceperunt eius imperium filii eius. Vixit autem annos LXV, e quibus regnavit XXXIII * annos. * p. 174

Et eodem anno exiit quoque ex hoc mundo sanctus Mar Iacobus, episcopus Nisibis.

Anno 650°, Eusebius Nicomediae perturbationem in Ecclesia suscitavit propter fidem Arii. — Et eo anno sanctus Athanasius Alexandriam reversus est.

Anno 651°, mortuus est Eusebius Caesareae, et ei successit Acacius.

Anno 652°, mortuus est sanctus Alexander Constantinopolis, et pro eo instituerunt qui opinioni Arii adhaerebant Macedonium ; qui autem voci « consubstantialis » adhaerebant, Paulum.

Anno 653°, e Constantinopoli eiectus est Paulus, et imperator Eusebium Nicomediae illuc venire fecit.

Anno 654°, Eusebius Nicomediae synodum Antiochiae congregavit, et symbolum aliud ac Nicaenum composuit, et Athanasium ab Alexandria expulit, cuius loco instituit Gregorium, et hunc per Romanos adiuvit [2].

Anno 655°, mortuus est ipse Eusebius, et universus populus in sedem episcopalem sedere fecit Paulum, Ariani autem Macedonium [3].

Anno 657°, Abrahamus episcopus Edessae creatus est ; et aedificavit ecclesiam Confessorum.

Anno 660°, Amida et Tela civitates aedificatae sunt curis Constantini minoris.

Anno 661°, bellum ortum est inter Constantinum minorem et Constantium fratrem eius. Occisus est Constantinus, et eius imperii haeredes facti sunt Constantius et Constans.

Anno * 662°, ab imperatore missus est Hermogenes, qui * p. 175

[1] Vocum Socratis (I, XXXVIII) : τοῦ ἐν τῇ στοᾷ μακέλλου perpera interpretatio. — [2] Cf. SOCR., II, XI. — [3] Cf. SOCR., II, VI.

Paulum ab ecclesia expelleret ; et illum occiderunt Constantinopolitani [1].

Anno 663°, Ariani Gregorium Alexandria expulerunt, et eius loco Georgium instituerunt [2].

Anno 664°, e Constantinopoli exivit Paulus, et eius loco induxit imperator Macedonium, et dum hunc introducunt occisi sunt e populo civitatis tria hominum millia ac centum et quinquaginta [3].

Anno 667°, congregata est synodus Serdicae, quae Paulo et Athanasio eorum sedes restituit [4].

Anno 668°, Alexandriam descendit Athanasius, et dum descendit, synodum congregavit Maximus Hierosolymorum, et ambo unionem fecerunt [5]. — Eo tempore noscitur Ephraemus doctor.

Anno 670°, Romae rebellaverunt Vetranio et Magnentius, et imperatorem Constantem occiderunt [6].

Et eodem anno, e sedibus suis recesserunt Paulus et Athanasius. Paulum autem dum deducunt qui ducebant eum nocte strangulaverunt in civitate Cucuso. Athanasius vero aufugit et salvus evasit. Etiam Lucius Adrianopolis, dum vinctus est ferrea catena, in carcere mortuus est [7].

Macedonius autem cum teneret ecclesiam mala ingentia fecit, et caedes multas inter eos qui « consubstantialem » confitebantur, qualia nec tyranni idolorum cultores unquam fecerunt [8]. Georgii autem Alexandriae malitia magis quam Macedonii crevit. Septem enim dies post festum Azymorum
* p. 176 (Pascha), virgines in * carcerem trudebantur, episcopi a romanis militibus in vinculis deducebantur, aedes orphanorum et viduarum diripiebantur, et caedes multae ubique fiebant [9].

Hoc autem tempore surrexit Photinus episcopus et scidit Ecclesiam, et fidem Sabellii et Pauli Samosateni renovavit. Et ideo synodum Sirmii congregari iussit imperator ; ubi aliam fidei professionem innovarunt, in qua nec ipsi invicem

1 Cf. Socr., II, xiii. — 2 Cf. Socr., II, xiv. — 3 Cf. Socr., II, xvi. — 4 Socr., II, xx. — 5 Socr., II, xxiv. — 6 *Ibid.*, xxv. — 7 *Ibid.*, xxvi. 8 *Ibid.*, xxvii. — 9 Socr., II, xxviii.

concordes erant. Et ideo praecepit imperator ut omnes Occidentis episcopi Arimini congregarentur [1].

Orientales autem Nicomediae congregati sunt ; sed fuit in hac urbe terrae motus ingens, quae ruit et oppressit incolas suos. Quam ob causam synodus Seleuciae Isauriae convenit [2]. Sed nec isti sibi invicem concordes erant.

Anno 671°, proelium fuit apud Mursam [3] inter Magnentium tyrannum et Constantium imperatorem. Devictus est Magnentius ; caesus est exercitus eius et ipse aufugit.

Anno 672°, surrexit Aetius haereticus et Ecclesiam perturbavit. Iubente imperatore, congregata est synodus Mediolani. Convenerunt ibi plus quam trecenti episcopi. Et cum intellexissent Paulinus episcopus Trevirorum in Gallia, et Eusebius Vercellae et Dionysius Albae, quod vellent depositionem Athanasii procurare, surrexerunt fortiter et coetum ab hoc faciendo cohibuerunt [4].

Eodem anno mortuus est Abrahamus episcopus Edessae, et iussu imperatoris, Barses ex Ḥarran Edessam venit.

Anno 673°, eiectus est Macedonius, et eius loco institutus est sanctus Meletius qui paulo post * sedem Antiochiae accepit [5]. * p. 177

Et eodem anno, mortuus est Constantius imperator, et ei successit Iulianus. Vixit autem annos XLV, e quibus regnavit XXXVIII [6].

Rursum, eodem tempore surrexit Apollinaris et scidit Ecclesiam, manifestavitque suam haeresim [7]. Primum quidem dicebat : Deum Verbum animam non assumpsisse in dispensatione humanitatis [8]. Postea, quasi poenitentia ductus id corrigeret, addidit et dixit : Animam assumpsit Verbum Deus, quae tamen mentem [9] non haberet, sed Verbum Deus mentis loco erat in homine assumpto. In hoc tantum a nobis dissidere dicunt ii qui cognomine *Apollinaristae* vocantur. Trinitatem enim consubstantialem esse profitentur.

[1] Cf. SOCR., II, XXIX — [2] SOCR., II, XXXIX. — [3] SOCR., II, XXXII : περὶ Μοῦρσαν. — [4] Cf. SOCR., II, XXXV-XXXVI. — [5] Confusa narratio Socratis (II, XLII-XLIV). — [6] SOCR., II, XLVII. — [7] Ibid., XLVI. — [8] Gr.: ἐν τῇ οἰκονομίᾳ τῆς ἐνανθρωπήσεως. — [9] Gr.: νοῦν.

Rursum, etiam Macedonius scidit Ecclesiam et ausus est dicere quod Spiritum sanctum in sermone divino de Trinitate cogitare non sibi placuit.

Eustathius quoque Sebastiae dixit : « Ego, etiam Deum nominare Spiritum sanctum non audeo. » Hac de causa pneumatomachos eos appellant hi qui fidem consubstantialis tenent [1].

Anno 674°, in Ecclesiam suscitata est persecutio gravis ab impio Iuliano ; et ingens populus martyrium passus est. Et quia persecutio severa fuit, multi in ea perierunt. Eusebius autem episcopus Romae [2], et omnes optimates huius urbis,
* p. 178 * fortiter se gessit in certaminibus, et tormentis multis a tyranno affectus est, attamen non est mortuus.

Maximus autem, filius praefecti Constantinopolis, Theodorus confessor [3], et Elpidius dux exercitus, martyrium passi sunt.

Inter Samaritanos ingens turba monachorum, qui ibant ad orationem, martyrium passa est ; inciderunt enim in eos Samaritani et Iudaei et omnes baculis occiderunt. Iulianus autem rex cogebat Iudaeos sacrificare, et sacrificaverunt. Et petierunt a rege ut eorum templum Hierosolymis reaedificaretur. Et permisit eis ut reaedificaretur, ac eis ex aerario publico expensas dedit. Idcirco omnia celeriter parabant ; lapides, ligna, lateres coctos, ⌜calcem pro luto [4], ceteraque ad aedificandum necessaria. Sanctus autem Cyrillus episcopus Ierusalem, cum haec videret, vaticinatus est et dixit tempus adesse quo Salvatoris nostri completionem obtineat verbum : lapis super lapidem non relinquetur hic [5]. Haec itaque sanctus Cyrillus praedixit. Nocte autem factus est terrae motus ingens, adeo ut surgerent lapides fundamentorum antiquorum templi et omnes dispergerentur vehementia huius motus ; etiam domus quae huic loco erant proximae eversae sunt. Et fama

1 Socr., II, xlv. — 2 Sic. In serie episc. Romae, apud Mich. syr. haec occurit nota : « Iohannes stylita sic : Inter Silvestrum et Iulium fuit Eusebius qui commemoratus est in libro Ioviniani ; sed eum non invenimus in Catalogo. » (ed. Chabot, p. 746.) — 3 Cf. Soz., V, xx. — 4 Socr. (III, xx) : καὶ πηλὸς καὶ ἄσβεστος. — 5 Math., xxiv, 2.

huius subversionis in omnem terram diffusa est. Et rursum, die sequenti ignis de coelo descendit, et omnia opera architectorum et aedificatorum, et cetera opificum instrumenta consumpsit. Cernere erat in flammis igneis consumi malleos, forcipes, secures et ascias, et ut ita dicam, omne opus quod ab eis paratum fuerat ad aedificationem ; et quidem tota die ignis instrumenta consumebat. Iudaei autem in magno timore versabantur ; inviti quidem confitebantur Christum esse Deum, non tamen voluntati eius obtemperabant, neque * tertium pro- * p. 179
digium quod inter eos accidit eos ad fidem adduxit. Nocte quidem sequenti, signa crucis fulgentia [1] vestimentis eorum impressa apparuerunt et, orto die, cum viderent hoc signum, abstergere et eluere illud omni modo conati sunt nec potuerunt.

Iulianus autem, avunculus regis tyranni, cum invisisset Ierusalem, et templum sanctum ingressus esset, et etiam vasa sacra ecclesiae quae ibi est palpavisset, percussit eum Dominus : vermibus scatuit et mortuus est [2].

Hoc autem tempore noti sunt pastores in Ecclesia : Gregorius senior Nazianzenus cum filiis suis ; Basilius Caesareae, Maris Chalcedonis ; is multis conviciis tyrannum affecit, et cum esset caecus, ait ad eum *tyrannus* : Non te sanaturus est Galilaeus [3]; Athanasius Alexandriae. Innotuerunt etiam Eusebius Romae [4] ; etiam Cyrillus Ierusalem, et Meletius Constantinopolis, et Flavianus Antiochiae, et Lucifer episcopus Caralis civitatis. Innotuit etiam Hilarius episcopus Pictavorum [5] ; is tanquam columna firma omnes regiones Occidentis in formula « consubstantialis » sustinebat et confirmabat. Agnoscitur etiam Vologesus Nisibis, et Eusebius episcopus Samosatorum, et Athanasius alter Ancyrae, et Uranius Apamaeae [6].

Noscitur etiam eo tempore sanctus Iulianus Saba.

Anno 674°, descendit Iulianus rex in Persidem, et vastavit totam regionem inde a Nisibi usque Ctesiphontem in * Beth- * p. 180

[1] Gr. ἀκτινοειδεῖς (Socr., III, xx). — [2] Cf. Sozom., V, viii. — [3] Socr., III, xii. — [4] Sic ms. — [5] Socr., III, x. — [6] Ms. Cansarae (vox recentius rescripta).

Aramayē. *Inde* multos homines abduxit quos collocavit in monte S n s u[1]. — Et eodem anno mortuus est in Perside, iaculo per aerem volante *feritus*.

Et regnavit eius loco Iovianus dux eius exercitus. Is composuit pacem inter imperia, et Nisibin Persis concessit. Etiam persecutionem in Perside cessare fecit, composita pace, et omnes ecclesiae apertae sunt; et omnem populum Nisibis transtulit Amidam Mesopotamiae, et eis moenia aedificavit ad occidentem civitatis.

Anno 675°, synodus congregata est Antiochiae, et fidem Nicaeae confirmavit.

Et eo anno congregata est *synodus alia* Gangris, et deposuerunt Macedonium et Eustathium Sebastiae.

Et eo anno mortuus est rex Iovianus et eius loco regnaverunt Valentinus[2], Romae, et Valens, frater eius, Constantinopoli. Valentinus quidem fidem consubstantialis tenebat, Valens autem arianus *erat*, et etiam persecutionem in Ecclesiam excitavit. Antiochiam descendit et omnes formulam consubstantialis profitentes dure persecutus est.[3]

Et eodem anno Constantinopoli rebellavit Procopius. — Item, eo anno fuit ingens terrae motus qui multas civitates destruxit[4].

Anno 676°, mare terminos suos trangressum est, et ita exundavit ut in locis antea aridis et pedibus peragrari solitis naves currerent ; ab aliis autem locis fluctus tantopere recessit ut arida appareat.

Anno 679°, occisus est tyrannus Procopius. Imperator autem
* p. 181 muros * Chalcedonis dirui iussit, eo quod exceperat civitas tyrannum, imperatorem vero conviciis affecerat[5].

Anno 678°, Valens episcopos qui profitebantur formulam « consubstantialis » in exsilium misit, omnes praeter Basilium et Gregorium Nazianzenum.

Eo tempore, Valens aquas Constantinopolim adduxit[6], et

1 Videtur esse mons Melitinae vicinus, quem Barhebraeus (ed. Bedjan, p. 252) appellat : ܛܘܪܐ ܕܣܢܣܪ̈ܝܐ. — 2 Sic, ubique. — 3 Cf. Socr., IV, ii. — 4 Socr., IV, iii. — 5 Socr., IV, viii. — 6 Socr., IV, viii.

persecutionem movit adversus eos qui consubstantialem confitebantur [1].

Anno 679°, fuit vehemens terrae motus in Bithynia, quo Nicaea urbs subversa est die undecima mensis octobris. Eodem anno, alia terrae quassatio fuit in Hellesponte, et in ea civitates plurimae corruerunt [2].

Eodem anno mortuus est sanctus Iulianus Saba.

Item, eodem anno mortuus est sanctus Eusebius episcopus et martyr Romae ; et pro eo creatus est Liberius.

Noti erant etiam Evagrius episcopus Constantinopolis, Meletius et Eustathius Antiochiae ; Cyrillus Ierusalem, et Athanasius Alexandriae.

Eo autem tempore, Eunomius scidit Ecclesiam. Dixit enim : De sua substantia Deus nihil amplius scit quam nos ; nec illa ei magis, nobis autem minus nota est ; sed quidquid nos de ea scimus ipse scit. Et quidquid in eo est, id etiam in nobis invenies sine discrepantia. Haec itaque, et alia plura dixit Eunomius [3].

Eo autem tempore, ab Arianis aggravata est persecutio in eos qui profitebantur consubstantialem ; nam opprobriis eos afficiebant, et eos persequebantur, et eos feriebant et in vincula coniciebant atque damna in bonis eorum causabant. Quae cum illi ferre non possent, adierunt imperatorem ut ab eo rogarent incolumitatem, sperantes ut saltem paulisper a violentia liberarentur; sed cum * id excogitavissent a sua spe * p. 182 longe exciderunt, quod putaverunt apud virum iniquum iustitiam invenire [4].

Electi sunt itaque viri religiosi ex sacerdotibus ecclesiae numero octoginta, quorum principes erant hi : Urbanus, Theodorus et Menedemus, et Nicomediam venerunt atque petitionem imperatori obtulerunt, edocentes eum violentiam et mala quae perpessi erant. Imperator autem eis iratus est, et clam mandavit Modesto praefecto ut hos homines interficeret. [5]

Is vero, accepto mandato, in navigium imposuit eos, cui ignem iniecit, et sic combusti sunt in [navi ......] [6].

1 Socr., IV, ix. — 2 Socr., IV, xi. — 3 Socr., IV, vii. — 4 Socr., IV, xv. — 5 Socr., IV, xvi. — 6 Dimidius versus periit.

Eo tempore fuit fames magna in omnibus locis Phrygiae, et ob magnam angustiam deserta est universa regio et invaserunt Constantinopolim.

Anno 680°, mortuus est sanctus Athanasius Alexandriae, et loco eius factus est sanctus Petrus. Athanasius administravit ecclesiam annos XLVI inter magna pericula [1].

Anno 681°, persecutionem passus est Petrus Alexandriae, et cum eo omnia coenobia quae in deserto, et omnes monachi qui illic erant, ab Euzoio Antiochiae et Lucio Alexandriae, arianis [2].

Noti erant eo tempore inter monachos, Antonius, Ammonius, Pior, Isidorus, Pambo, Petrus, Macarius Aegyptius, et Macarius Alexandrinus. Hi ambo expulsi sunt in quamdam insulam in qua erant multi homines barbari, et per gratiam divinam cunctos incolas huius insulae ad Deum converterunt [3].

Eodem anno aedificatum est baptisterium Edessae.

Post Liberium Romae sedem accepit Damasus, et post
* p. 183 Cyrillum * Ierusalem stetit Iohannes.

Anno 683°, mortuus est Valentinus imperator Romae, et regnavit Valentinianus filius eius.

Anno 684°, mortuus est sanctus Mār Ephremus, doctor, die XIX^a mensis ḥ a z i r a n (iunii).

Anno 686°, vastaverunt Gothi dicionem Romanorum.

Anno 687°, ortum est bellum Arabes inter et Romanos. Arabibus imperabat eo tempore Mavia [4]. Haec autem Mavia dixit quod si non daretur sibi episcopus Moses, qui genere arabico oriundus erat, ut quiescat bellum non esse medium. Is autem Moses famosus erat fide et solitudine, et vita pura miraculisque fulgebat, quia in deserto monachorum educatus est. Hunc postulavit Mavia, ut sit episcopus popularibus suis, et hoc pacto cessaret bellum. Duces autem exercitus Romanorum, his auditis, in se susceperunt ut hoc pacto componerent pacem, et id citius fieri iusserunt. Mosem autem apprehensum Alexandriam adduxerunt ut illic impositionem manuum a Lucio acciperet. Moses [autem ordinationem recusabat] dicens: Sacer-

1 Socr., IV, xx. — 2 Ibid., xxi-xxii. — 3 Socr., IV, xxiv. — 4 Μαυΐα (Socr., IV, xxxvi),

dotio non sum dignus. Si tamen id iuvare debet negotia communitatis, ne imponat mihi manus Lucius, nam * multo sanguine * p. 184 repleta est manus eius. Lucius autem dixit: « Non decet probris uti (erga aliquem), sed primum discere ab eo dogma religionis suae ». Moses ad hunc respondit : « Sermo non requiritur ; opera tua te arguunt ; quod fecisti in fideles non christiani est. Christianus enim non percutit, nec deridet, nec pugnat ; servum enim Dei non decet pugnare. Opera enim tua clamant per eos quos in exilium eiecisti, et proiecti sunt bestiis et varias mortes passi sunt, et maior est demonstratio eorum quae oculis videntur quam eorum quae auribus audiuntur. » — Et cum haec multaque alia Moses ad Lucium dixisset, ab adstantibus deductus est ad montem ut accipiat impositionem manuum ab eis qui in exilio erant. Et ita per episcopatum beati Mosis cessavit bellum inter Arabes et Romanos, et pax regnavit inter regna.

Anno 688°, Alexandria pulsus est Lucius, et sanctus Petrus ab exilio reversus sedem suam occupavit. Et paullo post mortuus est, et eius loco fuit sanctus Timotheus [1].

Anno 689°, vastaverunt Barbari regionem Thraciae, et usque Constantinopolim pervenerunt. Adversus eos processit Valens, et dum pugnat cum eis, ab eis occisus est [2]. Et imperium eius obtinuit Gratianus. Is consortem sui in imperio Theodosium maiorem assumpsit [3].

Eo anno, ab exilio reversi sunt omnes episcopi et ecclesias suas occupaverunt. Et Edessae obtinuerunt Orthodoxi ecclesiam ; et episcopum habuerunt Eulogium * qui aedificavit * p. 185 sacellum Mār Danielis quod appellatum est Mār Domitii [4].

Anno 690°, obsederunt Barbari Constantinopolim; imperatrix autem Dominica militibus ex aerario publico dedit aurum et arma ; et noctu egressi in eos, devicerunt eos et persecuti sunt. Exercitum numerosum Arabum qui eos adiuvaret Romanis dedit Mavia et ad eos pervenit [5].

Anno 692°, rursum fuit bellum inter Romanos et Barbaros ; hi autem coram imperatore Theodosio perierunt.

1 Socr., IV, xxxvii. — 2 *Ibid.*, xxxviii, — 3 Socr., V, ii. — 4 E *Chron. Edesseno.* — 5 Socr., V, i.

Anno 693° Alexandri, congregata est Constantinopoli synodus CL *patrum*[1]. Eius principes hi erant : Timotheus Alexandriae, Meletius Antiochiae, Damasus Romae, Victor[2] Constantinopolis, Iohannes Ierusalem. In ea noti erant episcopi hi : Gregorius Nazianzenus, Gregorius Nyssae, Eulogius Edessae, Helladius Caesareae, Pelagius Laodiceae, Diodorus Tarsi, Otreius Melitinae, Amphilochius Iconii ; et subscripserunt[3] fidei Niceae eamque confirmarunt. Et diviserunt provincias et patriarchatus. Tribuerunt Damaso Romae principatum Italiae et omnia loca occidentalia et superiora Galliae et His-
* p. 186 paniae quae subdantur * ei. Post hunc dederunt Nectario[4] Constantinopolis omnia loca Asiae et Orientis graeci quae subdantur ei. Et post hunc dederunt Timotheo Alexandriae, Misrim et Aegyptum et omnia loca interiora quae ei subdantur. Et post hunc dederunt Meletio Antiochiae et Palaestinam et Mesopotamiam, et omnia loca orientalia et inferiora Persidis quae ei subdantur.

Anno 694°, mortuus est sanctus Meletius Constantinopoli, et eius cadaver Antiochiam transtulerunt. Et eius loco fuit Paulinus[5].

Et eodem anno, imperator ossa Pauli apostoli Constantinopolim induxit.

Anno 695°, Rhesainam Mesopotamiae Theodosius imperator aedificavit.

Anno 696°, regnavit Arcadius, filius Theodosi, cum patre suo.

Anno 697°, mortuus est sanctus Timotheus Alexandriae, et locum eius accepit Theophilus.

Et eodem anno, Maximus tyrannus rebellavit et Gratianum imperatorem occidit[6].

Anno 698°, pugnavit Theodosius imperator cum Maximo tyranno et hunc occidit, eiusque exercitum destruxit.

Et eodem anno, mortuus est sanctus Eulogius episcopus

1 Cf. SOCR., V, VIII. — 2 Sic ms. ; lege : Nectarius. — 3 Huic voci recentius superscriptum est : « Severianus Gabalae ». — 4 Corr. *e Victorio*. — 5 SOCR., V, IX. — 6 Cf. SOCR., V, XI, XIV.

Edessae, et locum eius accepit Cyrus. Is autem thecam Thomae apostoli Edessam adduxit [1].

Anno 699°, omnia fana idolorum Alexandriae, iussu imperatoris et cura Theophili patriarchae huius loci, eversa sunt [2].

Eodem anno factus est Evagrius patriarcha Antiochiae simul cum Flaviano [3].

Anno 700°, unita est ecclesia Novatianorum cum Orthodoxis. Et sublatus est e medio sacerdos qui * poenitentiae praeposi- * p. 187 tus erat ; et permissum est ut quisque iuxta conscientiam suam ad divina mysteria accedat [4].

Anno 701°, fuit perturbatio in Ecclesia propter pascha.

Anno 702°, regnavit Honorius.

Anno 703°, rebellavit Eugenius tyrannus.

Anno 704°, Eugenius tyrannus imperatorem Valentinianum in lectu eius necavit.

Anno 705°, (Theodosius prosecutus est) Eugenium in Gallia. — Imperator autem in [proelio] Deum in suum auxilium invocavit ; et Deus qui non negligit orationem cultorum suorum neque hic neglexit orationem imperatoris iusti ; sed conserto proelio, ventus validus flabat et tela militum Eugenii in ipsos retorquebat, dum tela militum Theodosii magno impetu in illos deferebat. Tyrannus occisus est, et totus eius exercitus proelio periit [5].

Anno 706°, mortuus est Theodosius imperator et imperium eius obtinuerunt filii eius [6].

Eodem anno, Hunni dicionem Romanorum ingressi sunt et omnia loca vastaverunt in Syria et ad radices Montis Aridi, id est Arzun, et Maiphercat, et Amidam, et Hanaziṭ et Samosatam, et trangresso Euphrate, post se pontem absciderunt. Et undique copiae Romanorum adversus eos congregatae sunt, et eos destruxerunt ; nemo eorum salvus evasit.

Eo tempore obsessus est populus in castro Ziaṭ. — Cum id flagellum terribile Hunnorum ad regionem Amidae pervenit universus populus deseruit locum et ingressus est castra

1 Ex *Chronico Edesseno*. — 2 Cf. Socr., V, xvi. — 3 Cf. *Ibid.*, xv. — 4 Cf. Socr., V, xix. — 5 Cf. Socr., V, xxv. — 6 Socr., VI, i.

* p. 188 * quae sunt ad Tigrim flumen et ad Zabam [1], et vocantur castrum Ziaṭ [2] magnum et castrum Ziaṭ pumilum, et castrum Ighil [3] quod (fuit opus ?) Sennacherib regis Assyriae [4]. Illud castellum Ziaṭ magnus inter Tigrim et Zabam [5] situm erat. Zaba fluit ad occidentem et Tigris ad orientem, et invicem aquas miscent ad austrum muri [6]. Valde arduum et inexpugnabile est, eo quod in magna altitudine positum est et portam unam habet. Hunni autem portam muri occupaverunt et etiam aquae ductus [7] qui descendunt ad Tigrim et ad Zabam; constiterunt super eos [8] et eos tenuerunt, dum homines qui intus erant siti defecerunt, et qui remanserunt denique castrum tradiderunt. Hunni autem qui sunt viri sine misericordia, universum populum ore gladii trucidarunt, reliquos captivos fecerunt, et igne castrum incenderunt, et illud nunquam amplius habitatum est. — Rufinum autem praefectum imperatoris, cum ad pedes imperatoris sederet, occiderunt milites, « eo quod per tyrannidem suam causa fuerat adventus Hunnorum » [9].

Anno 707°, mortuus est Nectarius, episcopus Constantinopolis, et eius loco fuit sanctus Iohannes. Is Iohannes oriundus erat Antiochia Syriae ; filius Secundi [et Anthusae, ex prosapia] nobili concivium [10]. Erat discipulus Libanii sophistae. Magnis autem laboribus a sancto Evagrio et Basilio Caesareae educatus est [11].

Anno 708°, factus est Theodorus episcopus Mopsuestiae, et Maximus Seleuciae [12].

* p. 189 Eo tempore notus fuit Absamia * doctor, filius sororis Mar Ephremi [13], et composuit hymnos de adventu Hunnorum.

1 Ms. : Dābā, i. e., « lupus ».; Λύκος flumen. — 2 Saepius nomen ܙܐܝܛ vel ܙܝܛ scriptum est. — 3 Gr. : Αἰγιλά. — 4 Ms : Dbā. — 5 Sententia incompleta vel corrupta respicere videtur locum hodie *Koyoundjik* vulgo appellatum. — 6 Cf. Barhebr., *Chron. eccl.* I, col. 616. Locus confuse designatur, Zabam (Lycum) ad orientem et Tigrim ad occidentem fluere patet. Forsan fuit ille locus qui hodie vulgo *Nemroud* dicitur. — 7 Cf. Margoliouth, *Supplement* ad Payne Smith, 111. — 8 Loco ܥܒܝܗܘܢ lege ܥܠܝܗܘܢ — 9 Cf. Socr., VI, i. — 10 Socr., VI, iii. — 11 Compendium perperam eductum e Socr., VI, iii. — 12 *Ibid.* — 13 E *Chron. Edesseno*, § 47; perierunt duae voces.

Anno 709°, perturbatus est populus Alexandriae ab eis qui sacerdotio fungebantur, dum ipsi unus adversus alterum seditionem concitare non cessabant; sacerdotes unus contra alium stabant et res malas moliebantur. Et principium mali ex Aegypto erat, ob hanc quaestionem: Utrum Deus corpus habeat et sit in figura humana, an incorporeus sit et alienus ab omni figura humana. Et hanc ob causam a pluribus numerosae contentiones et perturbationes excitabantur; alii enim huic sententiae adhaerebant, alii sententiam contrariam sustinebant, praesertim ex monachis [1].

Anno 710°, Severianus Gabalae noscitur, et Antiochius Acco (= Ptolemaidis) [2].

Anno 711°, noscitur Epiphanius Cypri ; et Theodorus Mopsuestiae, interpres scripturarum, noscitur.

Anno 717°, Iohannem Constantinopolis e sede sua eiecerunt, tamen non propter fidem, sed ob apertam eius reprehensionem adversus reginam. Et ipsa regina, quarta die post exilium Iohannis, mortua est, et omnes dixerunt ob iniquitatem quam commisit in depositione Iohannis id accidisse. — Et rursum eo anno, fuit grando ingens cui similis nunquam visa est. Cyrinus autem episcopus Chalcedonis appellabat Iohannem impium [3]. Congregata autem synodo, Marutha's invitus pedem Cyrini calcavit et inde putredinem causavit, ita ut necesse fuerit * pluries illum abscidere, et etiam pes alter abscidendus * p. 190
fuit, quia morbus totum eius corpus depascebatur ; et ideo multi dicebant Cyrinum punitum fuisse, grandinem cecidisse et reginam mortuam esse [4].

Etiam in Ecclesia fuit schisma ; non propter fidem, sed ob iniuriam Iohanni illatam. Eius loco creatus est Arsacius [5], frater Nectarii, decessoris Iohannis.

Anno 718°, mortuus est is Arsacius, episcopus Constantinopolis.

Anno 720°, mortuus est Arcadius imperator, et ei successit Theodosius minor, eius filius. Regnavit Arcadius cum Theo-

[1] Cf. Socr., VI, vi-vii. — [2] Socr., VI, xi. — [3] Socr., VI, xv. — [4] Cf. Socr., VI, xix. — [5] Socr., VI, xix.

dosio, patre suo, XIII annos, et post patrem annos XIV ; tota eius vita fuit annorum XXXI [1].

Anno 721°, mortuus est sanctus Theophilus patriarcha Alexandriae, et factus est eius loco sanctus Cyrillus, filius fratris eius [2].

Anno 722°, factus est Diogenius episcopus Edessae ; et aedificavit aedem Barlahae.

Et eodem anno, unitus est Macedonius [3] Ecclesiae, et accepit fidem consubstantialis. E sua sede expulsus est Theodosius [4], et locum eius accepit Agapetus [5].

Anno 723°, mortuus est Diogenius et locum eius accepit sanctus Rabbulas ; et aedificavit aedem Mār Stephani, quod erat synagoga Iudaeorum [6].

Anno 724°, mense n i s ā n (aprili), fuit exundatio magna
* p. 191 * et gravis in flumine Daiṣan, quod mediam Edessam transit, tempore nocturno ; et obstructi sunt exitus fluminis, et accumulatae aquae et se expanderunt per omnes plateas, et omnes aedes lateribus et luto (aedificatae) solutae sunt et ceciderunt super earum possessores eosque medios suffocarunt, et praeter aedes petris et calce consolidatas nihil remansit quod non destructum fuerit per inundationem, praeter aliquot aedes in clivo montis sitas ; sed etiam in domibus calce obductis plures subter suffocati sunt. Cum autem murus ruptus fuisset vehementia exundationis, haec arripuit cum eo aedes et ligna et iumenta et homines, et res omnes vitae hominum utiles ; etiam damna maiora quam in civitate causavit in planitie Edessae et Ḥarran, et per totum defluxum suum usque dum Euphrati se miscuerit.

Eo tempore ingens multitudo paganorum fidem amplexa est et baptismum recepit, ob huiusmodi causam [7] : Iudaeus paralyticus in lecto iacebat a multis annis, et tota ars medicinae in eo adhibita fuit, et omnes preces iudaicae inefficaces fuerunt, et cum inde nihil iuvaminis accepisset,

1 SOCR., VI, XXIII. — 2 SOCR., VII, VII : « filius sororis eius » ; recte. — 3 Recentior lectio ; primitus fuit « Macedoniani ». — 4 Episc. Synnadis ; SOCR., VII, III. — 5 Ms. Aganius.. — 6 *Chron. Edess.*, LI. — 7 SOCR., VII, IV.

ad sanctum baptismum christianorum confugit, et credidit quod in eo tantum sanaretur. Et cum id notum esset patriarchae Attico, edocuit eum et spem eius firmavit in baptismum in Christo. Et mandavit ut, deferentes eum in lecto, eum deducant ad baptisterium. Is autem iudaeus paralyticus in vera fide baptismum accepit, et cum ex aquis adscendit liberatus * [* p. 192] ab omnibus suis doloribus visus est, et cum his qui sani erant exsultabat. Hoc autem miraculum eo tempore manifestatum est, et propter illud multi pagani crediderunt et baptizati sunt.

Item, eo tempore, presbyter Sabbatius Constantinopolis magnas perturbationes suscitavit in Ecclesia ratione paschatis[1]. Et cum videret Marcianus episcopus ingentes tumultus quos causavit, dixit : « Utinam spinis manus imposuissem potius quam Sabbatio ! »

Anno 725°, sanctus Maruthas, episcopus Maiphercatae[2], innotuit. Is a rege Theodosio ad Iezdegerdem[3], regem Persarum missus est, et inter eos pacem composuit[4].

Et eo tempore congregata est synodus persica et fidem Nicaeae stabilivit. Primores eius erant Maruthas Maiphercatae et Iahballaha catholicus Ctesiphontis. Congregata est autem ipso Ctesiphonte.

Post Flavianum Antiochiae sedem accepit Porphyrius, et post eum Alexander. Romae autem post Damasum fuit ibidem patriarcha Siricius, et post eum Anastasius ; post hunc autem Innocentius et post eum Zosimus, et dein Bonifatius ; post hunc vero sedem accepit sanctus Celestinus[5].

Eo tempore noscuntur Rabbulas Edessae, Acacius episcopus Amidae[6], Acacius alter Samosatae[7].

Anno 728°, Alaricus barbarus vastavit Romam, et incolas eius in captivitatem abduxit[8].

Anno 729°, * interfecit Theodosius Alaricum barbarum, [* p. 193] cuius exercitus etiam totus in praelio periit.

Eo tempore, doctor Mar Isaacus, Amida ex civitate Meso-

1 Socr., VII v. — 2 Socr., VII, viii: Mesopotamiae. — 3 Gr. : Ἰσδιγέρδης — 4 Socr., VII, viii. — 5 Socr., VII, ix, xi. — 6 *Ibid.*, xxi. — 7 Probabiliter lapsus pro Ḥalebi; cf. Socr., VI, xviii. — 8 Socr., VII, x.

potamiae oriundus, innotuit et carmina de vastatione Romae magnae scripsit.

Anno 730°, Alexandriae Iudaei insidias christianis struxerunt, et ex his multus populus periit. De illis edictum dedit imperator, et omnes necati sunt ; reliquos vero pepulit ex ea *urbe* [1].

Anno 731°, surrexit Eutyches haereticus, et scidit Ecclesiam.

Anno 732°, persecutio gravis, vehemens et sine misericordia in regione Persarum adversus christianos excitata est.

Anno 734°, martyrium passus est sanctus Iacobus intercisus [2], ex Beth Lapetha, civitate Huzitarum.

Anno 735°, Arzunitis [3] a Romanis populata est. Eo enim anno, descendit ingens exercitus Romanorum, et Arzunitem Persarum populavit, et captivos Amidam adduxit. Et profectus sanctus Acacius episcopus Amidae, sumpsit aurum ecclesiae urbis Amidae et e captivitate decem milia familiarum liberavit. Optimates etiam reliquos liberarunt, et cum viatico copioso ad loca sua eos remiserunt [4].

Et eo anno praelium commisit Ardaburius dux exercitus Romanorum, cum Narsaeo [5], *duce* Persarum. Devictus est Narsaeus cum exercitu suo, et fugit [6].

Anno 736°, rursum descendit exercitus Romanorum et obsedit Nisibim ; inclusit et pressit civitatem. In eam fecerunt turres ligneas mobiles quas ad murum admoverunt, et multos
* p. 194 viros, ex eis qui in muro pugnabant, * occiderunt. Narsaeus autem paravit et ipse exercitum magnum Persarum ad bellum gerendum cum Romanis. Et mandavit Narsaeus Ardaburio ut pacta condicione bellum gererent et statuerent locum et diem pugnae. Dux autem exercitus Romanorum ait legatis : « Sic dicite Narsaeo : Non iuxta placitum tuum proelium faciunt imperatores Romanorum. » Et, his dictis, misit imperator Romanorum ingentem exercitum. Et cum vellet Persis parcere, etiam totum bellum Dei manibus commisit, et hac de re confortatus est. Et quia in Deo fidem habuit imperator

1 Cf. Socr., VII, xiii. — 2 *Chron. Edess.*, liv. — 3 Gr. : τὴν Ἀζαζηνήν. — 4 Socr. : VII, xxi. — 5 Gr. : Ναρσαῖος — 6 Socr., VII, xviii.

citius ab eo auxilium assecutus est. Cum enim omnes Constantinopolitani in anxietate et in magno timore erant de eventu proelii, angeli Dei in Bithynia apparuerunt viris qui propter negotia sua Constantinopolim ibant, et iusserunt eos dicere imperatori et populo ut confortarentur et orarent, et fidem haberent per Deum Romanos victuros fore. Dicebant enim se a Deo missos esse ut in praelio victoriam Romanis darent. — Vararanes autem, rex Persarum, cum videret exercitum suum destructum et regionem Arzunitis populatam, et etiam Nisibim in summa angustia obsidionis versari, et eis bellum undique imminere, seipsum paravit ut ad bellum veniret. Cum autem exercitum Romanorum reformidaret, mercede conduxit Mundarum, regem Arabum, et huius exercitum, ut in auxilium sibi veniret. Et cum venisset Mundarus cum multis myriadibus Arabum, regi Persarum animum addebat, promittens se ei citius Romanos subiecturum et Antiochiam Syriae traditurum. Verumtamen * non fuit eius pollicitationi consummatio. Deus * p. 195 enim timorem Arabibus iniecit ; putaverant enim copias Romanorum in ipsos venire, et cum perturbarentur nec haberent quo fugerent, se ipsos precipites dederunt armati in fluvium Euphratem. Ex ipsis decem myriades hominum cum iumentis suis suffocati sunt. Et etiam septem duces exercituum Arabum dolo necavit Ardaburius ; qui autem supererant, auxiliante Deo celeriter profligati sunt[1].

Pars narrationis de octo pueris Ephesi[2]; id est : Maximiliani, et Iamlichi, et Marteli, et Dionysii, et Iohannis, et Serapionis, et Exustadiani, et Antonini, martyrum filiorum optimatum Ephesi.

Hoc tempore opinio[3] erronea et turbida produxit deliramentum, et agitavit commovitque Ecclesiam, volens obscurare promissionem reviviscentiae mortuorum ; et voluerunt abolere promissionem resurrectionis eorum qui iacent in pulvere, quam Ecclesiae suae dedit Dominus noster. Et rumores perturbantes in aures imperatoris fidelis pervenerant; etiam idololatrae

1 Socr., VII, xviii. — 2 Partem priorem huius narrationis (ex actis graecis) vide supra p. 102, n 2 ; cf. p. 101, n. — 3 Litt. : haeresis.

qui erant in eius palatio scripta dolosa palam coram ipso producebant, et episcopi impietatis amici qui apparuerunt et gloriati sunt hoc tempore, in Ecclesia scandalum magnum excitarunt. Et erat caput perturbationis Theodorus episcopus
* p. 196 civitatis Gāis[1] * cum aliis, quorum nomina in hac historia Confessorum memorari non decet, quia Ecclesiam Dei perturbaverunt, et fidei puritatem per disquisitiones suorum verborum perversas perturbarunt. Tunc mens ipsius Theodori imperatoris tota die in planctu conturbabatur, et in dubia multa cadebat, cum videret fidem Ecclesiae hic illic abreptam esse. Ex haereticis enim alii dicebant non esse resurrectionem mortuorum, alii autem dicebant corpus, quod detritum et corruptum et dispersum est, non resurrecturum, sed solam animam promissionem vitae esse accepturam. Sed erraverunt loquutores falsitatis, nec intellexerunt nunquam generari foetum ex ventre sine corpore, neque corpus exire ex utero sine anima, spiritu vitali. Et surdus factus est intellectus eorum nec audivit promissionem Domini nostri[2]: Mortui qui in sepulcris sunt audient vocem Filii Dei et vivent. Et rursus dictum est[3] : Expergentur et laudabunt qui recumbunt in pulvere. Et rursus dictum est[4] : Ecce ego aperio sepulcra vestra, et ego educo vos e sepulcris vestris. — Haeretici autem vita vacui converterant dulcedinem vitae in suam amaritudinem, et mentes tersas fidelium perturbarunt et scandalizaverunt. Et afflicta erat mens imperatoris Theodosii, et debilitatus est ac aegrotavit. Et se prostravit in sacco et cinere in conclavi sui cubilis.

Tunc Deus misericors, qui non vult quemquam perire extra viam veritatis, voluit mentibus infirmis sanationem procurare, et manifestari promissionem vitae per resurrectionem recumbentium qui ad hoc tempus in praescientia eius reservabantur;
* p. 197 et venenum producens morbum expellere e * puritate ecclesiae; et sustinere eius aedificium contra pravos fluctus et perturbatores qui illud percutiunt; et resplendere lucem et consolationem in imperatorem Theodosium ut, cum patribus suis, perficiatur

[1] In cod. Lond. « Galos ». Gr. : ὁ ἐπ. Αἰγεῶν τῆς πόλεως. — [2] Cf. Ioh., v, 25, 28. — [3] Cf. Is., xxvi, 19. — [4] Ezech., xxxvii, 12.

corona iustitiae. — Tunc subito suscitavit Deus in mente Arelii[1] possessoris fundi speluncae in qua Confessores iacebant, ut ibi sollicite aedificaret ovile pecoribus suis ; et servi et operarii duobus diebus laborabant, et lapides ex ore sepulcrorum aliorum revolvebant, et ex ore illius speluncae lapides pro constructione auferebant. Nocte autem secundae diei, os speluncae perforatum est. Tunc mandatum Dei vivificatoris instillavit vitam iacentibus qui in ea iacebant, et is qui foetui incluso dat spiritum vitalem in ventre matris eius, et illa voluntas quae in valle ossa dispersa et arida recomponit et vivificat[2] ; et illa virtus quae Lazarum sepultum vocavit et eum e sepulcro eduxit vivum ; ipse effato oris sui spiritum vitalem dedit etiam illis Confessoribus qui iacebant in spelunca. Se erexerunt et sederunt in gaudio et splendore vultus sui, et sicut mane cotidie se invicem salutabant, cum nullum signum mortis in eis videbatur ; vestimenta enim quibus induti erant cum obdormierunt, talia adhuc erant in corporibus eorum, et corpus et caro eorum erant quasi a matutino ad vesperam[3] tantummodo dormivissent, et se evigilare existimabant, et quasi negotium et studium serotinum adhuc eis instaret, et quasi Decius de ipsis cogitaret reputabant. Et cum * tristes, et afflicti, cum oculis lacrimosis, respiciebant ad Iamlichum procuratorem eorum, et interrogabant eum ut discerent ab eo quae de ipsis in urbe tempore serotino dicebantur, dixit eis : Quemadmodum dixi vobis, tempore serotino requirebamur ut idolis sacrificaremus. Respondit autem Maximilianus et dixit eis : Fratres mei, coram tribunali terribili Christi stare debemus, sed coram tribunali iudicis humani ne timeamus, nec abnegemus vitam quam habemus in fide Filii Dei. Et dixit Iamlicho : Iam advenit tempus cibi ; sed sume pecuniam et vade ad civitatem, et disce quae ab imperatore Decio praescripta sint, et veni, adde nobis cibum illi quem nobis vespere adduxisti ; quia paucus erat, et ecce fame laboramus. Putabant enim se somno unius tantum noctis dormitavisse. Et surrexit

* p. 198

1 Sic ms. ; in ceteris recensionibus Adolii ; gr. 'Αδολίου· — 2 Cf. Ezech., xxxvii, 1 ; Ioh., xi, 44. — 3 Melius cod. Lond. « a vespera ad matutinum ».

Iamlichus diluculo, secundum morem quotidianum, et sumpsit de pecunia quae erat in crumena, monetas LXII et XLIV [1] illius aetatis, quae diebus imperatoris paulo ante dies Confessorum cusae erant, id est CCCLXXII anni ante diem in quo experrecti sunt Confessores. Et mane [2] cum adhuc subobscurum tempus erat, e spelunca exivit Iamlichus et cum vidit lapides ibi positos miratus est, sed non consideravit quid sint; et descendit e monte, et gradiebatur ut veniret in urbem non per viam tritam, quia timebat ne quis eum recognosceret et eum duceret coram imperatore Decio ; nesciebat enim ossa impii destructa ac
* p. 199 in infernum proiecta esse. Et cum Iamlichus * ad portam urbis appropinquasset, levavit oculos suos et vidit signum crucis quod supra portam urbis defixum erat ; vidit quidem et miratus est. Et furtim adspiciens hic illic respiciebat tacite, ibat et redibat et cogitabat ac suis supputationibus mirabatur. Et conversus est ad portam aliam et similia vidit et miratus est ; et circuivit totam urbem per omnes portas, et vidit signum crucis affixum esse supra omnes eius portas ; et etiam civitas immutata erat in oculis eius, per aedificia alia quae non viderat ; et deambulabat ac mirabatur, quasi vir vertigine captus. Et venit stetitque ad portam ad quam primum descenderat et miratus est. Et in semetipso dicebat : quid est hoc ? id signum crucis vespere in cubiculis ponebatur et ecce mane supra portam urbis per circuitum positum est. Et recolligebat mentem suam ac palpabat corpus suum, dicens : Forsan somnium est ! Postea animum sumpsit et, cum cooperuisset tunica caput suum, intravit in civitatem; et, cum intraret forum, audiebat multos invicem colloquentes et iurantes per nomen Christi. Et magis timebat. Suis cogitationibus conturbatus est et detentus, et ipse sibimet dicebat : Quid sit hoc, ego nescio. Ecce vespere nemo erat qui aperte pronunciaret nomen Christi et nunc mane ecce omnis lingua illo utitur. Et dicebat sibi : Fortasse hoc non est urbs Ephesus ; nam diversa sunt aedificia eius, et mutata est in loquela sua ; at civitatem aliam quae proxima nobis sit nescio, nec mihi visa

[1] Suspicatur Guidi confusicnem pro LXXII et XXIV ; in gr. numeri sunt XL et LX. — [2] In edit. corrige ܘܠܨܦܪܗ

est. Et stetit ac stupefactus erat in semetipso. Et occurrit ei quidam iuvenis, et eum interrogavit et dixit : * Dic mihi, * p. 200 iuvenis, quodnam est nomen huius urbis. Et dixit ei iuvenis : nomen eius est Ephesus. Et stupefactus Iamlichus sibi dixit : Forsan quidquam mihi accidit ac mentem perdidi ; cito mihi exeundum est ex hac urbe, ne aberrem et peream, nam vertigo me tenet. — Haec omnia nobis [1] narravit Iamlichus postquam adscendit ad socios suos in speluncam, quando manifestata est eorum resurrectio et libro scripta est. — Tunc Iamlichus festinans exire ab urbe accessit ad venditores panis in specie mendicantis, et e marsupio suo eduxit pecuniam quam dedit venditoribus panis. Hi autem intuiti sunt pecuniam et speciem monetae ac maiorem magnitudinem, et mirati sunt ; et eam sibi transmittebant unus alteri, et mussitantes ac virum intuentes dicebant : hic invenit thesaurum antiquiorem generationibus et annis. Iamlichus autem intuebatur eos qui mussitabant adversus eum et eum considerabant, et commotus est, et ob timorem totum corpus eius tremebat ; putabat se revera ab eis agnitum esse et eos cogitare ut illum ad imperatorem Decium deducant. Alii autem vultum eius ex propinquo considerabant. Et ipse plenus timore surgens ait illis : Rogo vos ; ecce pecunia vobis a me data est, et non cupio panem sumere. Illi autem iniecerunt ei manus et illum apprehenderunt; et ei dicebant : Undenam sis, qui thesaurum antiquorum imperatorum invenisti ? ostende nobis, ut tecum participes simus et te celabimus, alioquin iudicio mortis traderis. Ipse autem mirabatur in seipso et dicebat : Ecce id quod non timebam adhuc mihi * additum est in pavorem. Dicunt ei homines isti : * p. 201 Non potest thesaurus dissimulari, o iuvenis, sicut putas. Iamlichus autem nesciebat quid dicat eis hac de re. Illi autem viderunt eum silere et non loqui, et tulerunt pallium eius et iniecerunt circa collum eius. Et dum stabant in medio magni fori et eum urgebant, rumor per totam urbem cucurrit, et dicebant quemdam thesaurorum inventorem apprehensum esse. Et eruperunt turbae et convenerunt ad eum ; et considerabant eum ac dicebant : Hic iuvenis peregrinus est, et nunquam

1 Vox deest in ceteris codicibus.

nobis visus est. Quamvis voluisset Iamlichus loqui et persuadere illis se non invenisse thesaurum, ex eo quod quisque dicebat. Non eum cognosco, stupefactus est et supersedit a sermone suo. Ipse enim in semetipso confidebat et putabat parentes habere in civitate et prosapiam magnam et illustrem habere in oppido Epheso. Sciebat et firmum habebat quod vespere cuicumque notus erat, et mane ne unus quidem agnoscebat eum. Et quasi stultus respiciebat ut videret quemquam ex suis fratribus aut suis notis, et non aderat. Et captus vertigine stabat inter turbas. Tunc strepuit civitas, et rumor pervenit ad ecclesiam, et auditus est a sancto Maris[1] episcopo civitatis. Etiam Augustus proconsul eo tempore apud episcopum aderat. Voluntas enim Dei coniunxit eos simul, ut thesaurus resurrectionis mortuorum per ipsos manifestaretur omnibus populis. Et ambo iusserunt ut iuvenis in custodia teneretur et veniret apud ipsos cum moneta in manu sua. Et traxerunt itaque Iamlichum ut deducerent eum ad ecclesiam, et ille putabat quod ad imperatorem Decium deducebant eum, atque hic
* p. 202 illic respiciebat * dum turbae deridebant eum quasi stultum. Et sic violenti tractione ad ecclesiam deduxerunt eum. Proconsul et Maris[2] sumpserunt e manu eius pecuniam et eam mirati sunt. Et proconsul Iamlicho dixit : Ubi est thesaurus quem invenisti ? ecce etiam pecuniam ex illo manu tua tenes. — Iamlichus ait : Thesaurum nunquam inveni, ut de me vos dicitis ; sed ego scio ex pecunia parentum meorum et moneta huius urbis esse pecuniam quae est in manu mea ; sed quid sint quae menti meae acciderunt nescio. — Proconsul autem dixit : Undenam es ? Iamlichus dixit : Ut puto, ex hac urbe sum. Dixit ei : Cujusnam filius es ? Et qui te noscit veniat et testimonium ferat de te. Et dixit eis nomen parentum suorum, et nemo cognoscebat eos ; neque quis agnoscebat eum aut parentes eius. Proconsul dixit : mendax es, et veritas non est apud te. At ille stabat et, inclinato capite, silebat fixis oculis. Et dicebant : Forsan stultus est. Alii dicebant : Non ; sed fingit esse stultum, ut ab hac angustia evadat. Proconsul intuebatur eum ira et dixit :

[1] Gr. nomen hic om. — [2] In gr. Στέφανος, ubique.

Quomodo te reputaremus stultum, aut quomodo crederemus tibi (dicenti) pecuniam esse e crumena parentum tuorum, cum impressum signum monetae, ex litteris in eo notatis, antiquius sit CCLXX annis[1], et paulo anterius imperatori Decio, nec commixta sit cum moneta alia, nec similis sit monetae illi cum qua fit commercium mundi. Fortasse anteriores sunt genitores tui generationibus et annis multis, cum tu sis iuvenis et vis decipere senes et sapientes urbis Ephesi ? * Igitur iubeo * p. 203 ut vinculis et tormentis tradaris donec confessus fueris ubi est thesaurus quem invenisti. — Tunc Iamlichus, his auditis, pronus in faciem suam cecidit et dixit eis : Volo a vobis, Domini mei, unum petere ; dicite mihi, et quidquid est in corde meo vobis manifestabo. Imperator Decius qui erat in hac civitate ubi est ? Tunc Maris dixit : Non est hodie, fili mi, in terra imperator nomine Decius, praeter unum qui mortuus est a multis generationibus. Tunc respondit Iamlichus et, dum facies eius in terram coram eis posita erat, dixit : Iam, domine mi, vertigine captus sum et sermo meus incredibilis est homini. Venite mecum et ostendam vobis socios meos in spelunca (montis) Anchialios[2], et ab eis discetis. Etiam ego scio nos propter Decium imperatorem ibi esse iam a diebus et ecce vespere vidi imperatorem Decium ingredientem urbem Ephesum ; si Ephesus sit haec civitas nescio. — Tunc Maris episcopus hoc consideravit et dixit : Id est quaedam revelatio quam nobis manifestavit Deus per hunc iuvenem ; eamus et eam videamus. Et surrexit Maris, et proconsul cum eo, et sederunt super iumenta, et cum eis nobiles et optimates oppidi, ac turmae civitatis, et adscenderunt in montem. Et cum pervenerunt ad speluncam Iamlichus ingressus est ante eos ad Confessores, et post eum ingressus est Maris episcopus. Et is ingrediendo portam speluncae invenit in angulo portae, ad dexteram, capsam aeream super quam imposita erant duo sigilla argentea. Et sumpsit eam, et stans in porta ad extra vocavit nobiles et optimates oppidi, et coram proconsule sustulit sigilla illa, et aperuit (capsam) et invenit duas tabulas plumbeas ; et legit, et

[1] Cod. Lond. : CCCLXX. — [2] Gr. : Μόχλος.

* p. 204 ita scriptum erat * in eis : E conspectu Decii imperatoris fugerunt Maximilianus, et Iamlichus, et Martelus, et Dionysius, et Iohannes, et Serapion, et Exustadianus, et Antoninus Confessores ; in facie eorum mandato imperatoris spelunca haec lapidibus obstructa est ; et scripta est confessio eorum infra. Et cum legissent haec scripta, mirati sunt, et laudaverunt Deum ob prodigia et mirabilia quae monstrat hominibus ; et omnes clamaverunt voce glorificationis. Et ingressi invenerunt hos Confessores sedentes in splendore, et similes erant vultus eorum rosae vernali. Et ceciderunt Maris et proconsul et prostrati in terram eos venerati sunt, ipsi et optimates et turbae omnes, dum laudant Christum, eorum Dominum, quia digni fuerunt videre hanc visionem mirabilem ; et etiam martyres locuti sunt cum eis, et omnia quae acciderunt diebus imperatoris Decii nota fecerunt Maris, proconsuli et optimatibus civitatis. Et statim equites ad imperatorem Theodosium missi sunt cum epistulis, et dixerunt ei : Citius veniat Maiestas tua, et videat mirabilia quae diebus imperii tui mundo manifestavit Deus. Lux enim promissionis vitae e pulvere nobis splenduit, et resurrectio defunctorum e sepulcris apparuit in gloriosis corporibus quae renovata sunt. — Cum autem haec audivisset imperator Theodosius, statim surrexit e sacco et cinere in quo humiliatus erat. Et roborata est mens (imperatoris) victoris, et glorificata est et extendit manus suas ad Deum, et dixit : Gratias ago tibi, Fili, Christe, rex coeli et terrae, quia e Sole iustitiae lux orta est nobis, et non extincta est lampas confessionis meae e lampadario patrum meorum, et non obscuratum est ac cecidit sigil-
* p. 205 lum meae fidei e corona victoriosa Constantini imperatoris * fidelis. Et audiverunt episcopi et magnates imperatoris simul ac ille ; et velociter ope equorum et curruum et vehiculorum e Constantinopoli ad urbem Ephesum venerunt. Et tota civitas imperatori obviam exivit cum episcopis et magnatibus oppidi. Et adscenderunt apud Confessores in spelunca montis Anchilos[1]. Et alacriter exierunt Confessores obviam impe-

[1] ܐܢܟܝܠܐܣ Alibi, p. 139 textus ܐܢܟܝܠܘܣ p. 140 ܐܢܟܝܠܐܘܣ p. 203 ܐܢܟܝܠܘܣ

ratori, et in conspectu eius resplenduit cutis vultus eorum. Et amplexatus est eos, et in colla eorum flevit, et sedit ante eos in pulvere terrae et intuebatur eos, et glorificabat Deum dum cor eius proclamabat confessionem et dicebat : In adspectu vestro quasi regem Christum intueor qui vocavit Lazarum et is e sepulcro exivit, et quasi iam audirem vocem eius in adventu eius glorioso, cum e sepulcris sine mora exient mortui. — Et imperatori dixit Maximilianus : Iam mane in integritate fidei tuae, et Christus Iesus Filius Dei custodiet imperium tuum ab operibus maligni. Firmum tibi sit quod propter te Dominus noster nos ante diem magnum resurrectionis evigilavit. Quoad nos autem, sicut foetus qui quamdiu manet in ventre matris suae non sentit nec honorem nec contemptum, nec gloriationem aut humiliationem, et cum vivus est non percipit mortem aut vitam, ita etiam nos silebamus et quiescebamus quasi sopiti sine cura. Et cum haec dixissent, dum imperator et nobiles et episcopi intuebantur eos, dormierunt et recubuerunt, et capita sua in pulverem accumbere fecerunt, et mandato Dei emiserunt spiritum.

* Surrexit imperator supra eos, flens quidem ; et sua vesti- * p. 206
menta imperialia expandit supra eos super corpora ipsorum. Et properavit imperator ut fierent octo thecae aureae pro corporibus eorum. Et in nocte in somnio apparuerunt imperatori, et ita ei dixerunt : E pulvere resurgent corpora nostra, non autem ex auro aut ex argento ; etiam nunc in loco nostro super pulverem nos relinque in spelunca. Tunc imperator statim iussit capsas aureas disponere sub illis, et reliquit eos in locis eorum usque hodie. Et in magna congregatione episcoporum factum est festum solemne commemorationis Confessorum. Et imperator fecit magnas eleemosynas omnibus pauperibus loci, et dimisit episcopos qui erant vincti in exilio, et in gaudio fidei eius [1] reversi sunt, et cum eo venerunt etiam episcopi Constantinopolim, dum laudabant Deum, Dominum mortuorum et vivorum. Et etiam nos cum eis laudemus et celebremus Trinitatem gloriosam Patris et Filii et Spiritus sancti, nunc et semper et in saecula saeculorum. Amen.

1 Cf. *Act. Ap.*, xvi, 34.

Nobis redeundum est ad ordinem historiae nostrae ; nunc absoluta est sectio narrationis puerorum Ephesi civitatis [1].

Rursum. Anno 737°, descendit Helio in Mesopotamiam ut componeret pacem cum Persis [2]. Et cum venisset Helio in Mesopotamiam et descendisset [infra Daram [3], stetit in fossa [4] quam ibi fecerant Romani paullo antea, propter suam securi-
* p. 207 tatem. Miserat autem legatum de * pace facienda Maximum [5], virum solertem. Is igitur pervenit apud regem Persarum, qui cito legationem recipere volebat [6], quia magna pars exercitus eius fame consumpta erat ; sed id facere non ei permiserunt qui inter Persas vocantur « immortales », et sunt circiter decem milia virorum strenuissimorum. Dicebant enim : Ne pax accipiatur priusquam eamus et incidamus in eos subito dum non sunt parati. Et inclusit legatum et eum custodiebat. Et misit Immortales qui praelio inciderunt in Helionem et milites eius. Et advenientes divisi sunt in duas partes et in medio alam unam Romanorum [incluserunt]. Romani autem cum vidissent unam (tantum) partem Persarum, se paraverant adversus hos ; nam pars altera Persarum in insidiis latebat a tergo eorum et eis non apparuerat, quia subito irruerunt in eos. Et cum iam proelium committendum erat et Romani in medio inclusi erant, et iam in eo erant ut brevi pereant, subito apparuit e colle quodam exercitus Romanorum, circiter decem millia, qui intellexerunt quid ante eos agebatur. Quae providentia divina acciderunt. Subditi erant Procopio. Is autem,

[1] In margine manu antiqua, non tamen primitiva, scriptum est : « Anni quibus dormierunt et postea expergefacti sunt illi pueri diebus Theodosii iunioris, sunt CCCIX ». Numeri partim rescripti erronei sunt; cf. *Bibl. orient.*, I, p. 338. — [2] SOCR., VII, XX. — [3] Deest apud Socratem. — [4] Gr.: τάφρος· — [5] SOCR. : Maximinum. — [6] Aliquot versus Socratis hic praetermissi sunt. Sic habet genuinus textus : « Hic cum ad regem Persarum [venisset, se pacis componendae causa missum esse dixit, non ab imperatore Romano, sed a ducibus illius. Imperatorem enim huius belli penitus ignarum esse affirmabat, et postquam illud resciverit, facile contempturum, et cum regem Persarum] legationem etc... ». — Ob repetitionem vocum « regem Persarum » e prima lectione ad alteram inconsulto transiit interpres.

cum videret Romanos socios suos iam mox perituros, venit a tergo Persarum. Persae itaque in medio inclusi sunt et cunctos parvo momento interfecerunt Romani ; et etiam se converterunt ad partem alteram quae in insidiis latebat, et omnes destruxerunt. * Et ita, qui inter Persas appellantur Im- * p. 208 mortales mortales visi sunt. Christus ultionem sumpsit a Persis eo quod multos servos eius christianos occiderant. Cum autem cognovisset rex Persarum hanc confusionem quae ei accidit, finxit se ignorare quid factum sit, admisit legatum et ei dixit : Non propter Romanos facio pacem ; sed tibi gratificor. Et sic igitur aversum est a Perside bellum propter christianos huius plagae susceptum, et etiam persecutio Persarum adversus christianos eorum regionis quievit.

Anno 739°, mortuus est Atticus episcopus Constantinopolis et eius loco factus est Sisinnius [1].

Anno 741°, mortuus est Sisinnius, et fuit eius loco Nestorius [2].

Et rursum, anno 743°, scidit Nestorius Ecclesiam et veram fidem. Et dixit : « Non decet ut Maria Deigenitrix vocetur. » Dixit etiam : « Hunc qui fuit bimestris aut trimestris Deum ego non appellabo » [3].

⸢Quomodo fuit scandalum Nestorio et cecidit in tantum morbum [4]. — Nemo reputet miserum Nestorium ante hanc occasionem participem fuisse huius scandali; secus neque ad patriarchatum Constantinopolis promotus fuisset; sed ei accidit quod dicit Scriptura [5] : « Est confusio [6] quae adducit peccata » ; et cum vellet amicum suum honorare, ipse contemptus est ; et cum vellet haurire in vortice submersus est in abysso perditionis. Quia vir erat non eruditus in lectione divinarum Scripturarum, accidit ut sit ei huiusmodi offendiculum. * Habe- * p. 209

[1] Socr., VII, xxvi. — [2] *Ibid.*, xxix. — [3] Sic apud Socr. (VII, xxxiv). — [4] Minio scripta, quasi titulus capituli. — [5] *Eccli.*, iv, 21, in ed. Lagardiana ; iv, 25 apud LXX (αἰσχύνη) et Vulg. — [6] ܒܘܬܐ est vox rescripta, quam in textu perperam recepi ; legendum est ܒܗܬܬܐ. Littera ܗ nitida apparet in cod.

bat apud se quemdam sacerdotem ex Antiochia cui nomen erat Anastasius. Hunc in magno honore tenebat, et cum eo de rebus *tractandis* consulebat [1]. Quadam autem die, cum Anastasius in ecclesia interpretationem traderet, dixit : Mariam nemo Deigenitricem vocet. Maria enim homo est, et Deum ex homine nasci impossibile est. Id autem, cum auditum esset, sacerdotes et universum populum conturbavit. Olim acceperant Christum esse Deum, et ne in dispensatione seiungerent humanitatem a divinitate edocti erant. Cum autem huiusmodi perturbatio orta esset in Ecclesia, amicum suum a tanto scandalo liberare conatus est Nestorius. Nolebat enim propter amicitiam suam erga illum, damnare eum tanquam blasphematorem ; et ideo sententiam Anastasii comprobare volebat. Fecit autem in ecclesia hac de re homiliam, in qua coepit sententiam Anastasii confirmare, et ubique vocem « Deigenitricem » reiciebat. Hanc ob causam scissiones plures evenerunt in Ecclesia.

⸢De interpretatione quam fecit Nestorius in ecclesia Constantinopolis locutus est sanctus Petrus Iberus, qui fuit spectator huius eventus, sicut ipse coram nobis testatus est [2]. Is autem Petrus Iberus filius erat regis Iberorum quem ab eo obsidem acceperat imperator Theodosius, ne adversus ipsum dolose ageret. Et tanquam filium Theodosius imperator et Pulcheria soror imperatoris eum educaverunt. Cum autem crevisset, dilexit opera sancta monachismi, et palatium regium dere-
* p. 210 liquit ; demum episcopus Apameae factus est. * Is testatus est et dixit [3] : Cum adhuc essem Constantinopoli antequam mundo abrenuntiarem, vivente Nestorio et episcopatum occupante, dum celebrabatur memoria sanctorum XL Martyrum in ecclesia quae Deigenitricis vocatur, surrexit ut homiliam haberet coram universo populo, in praesentia mea ; erat enim effeminata et sonora voce ; coepit blasphemare et dicere circa mediam orationem suam : « Ne glorieris, Maria, quasi Deum

[1] Gr. : συμβούλῳ ἐχρῆτο (Socr., VII, xxxii). — [2] Minio scriptum, tituli instar. — [3] Haec non occurrunt in Socrate. Desumpta sunt e libro Iohannis Rufi πληροφορίαι inscripto, et edito a F. Nau (*Patr. Or.*, t. VIII).

genuisses ; non enim genuisti Deum, o optima, sed hominem Dei instrumentum[1]. » Et statim ac hoc dixerit adfuit ei daemon in ipso pulpito[2], ita ut facies eius et dextera eius manus retroversae sint ; et cum esset impotens et iamiam lapsurus ministri et diaconi illum rapuerunt et in sacrarium[3] detulerunt. Abhinc maior pars populi ab eius communione discessit, maxime illi qui erant in palatio, et ante omnes ego ipse, quanquam ab ipso multum diligebar. — Is itaque sic defecit et cecidit, sicut Lucifer e coelo, et a sua prava voluntate non conversus est quia in eum ingressus erat Satanas.

Anno 744°, congregata est prima synodus Ephesi, quae excommunicavit et deposuit impium * Nestorium, quia noluit se * p. 211
convertere ab eo quod tenebat. Principes synodi erant hi : sanctus Cyrillus patriarcha Alexandriae, Memnon Ephesi, Juvenalis Ierusalem, Iohannes Antiochiae[4]. Noti sunt etiam Rabbulas Edessae, Accacius Amidae, Accacius alter Samosatae.

Anno 746°, mortuus est sanctus Mār Rabbulas Edessae, et eius loco creatus est Hibas. Is aedificavit ecclesiam novam, quae hodie ecclesia Apostolorum vocatur[5].

Eo tempore noti erant sanctus Mar Barsauma, e regione Samosatae, et sanctus Simeon stylites.

Et item, eo tempore, calamitas magna et ruina crudelis accidit populo Iudaeorum, ratione deceptionis, propter quam multi eorum facti sunt christiani[6]. Accidit eis res huiusmodi. Iudaeus quidam deceptor apparuit in insula Creta, qui seipsum esse Mosem fingebat, et dicebat eis se missum esse e caelo, ut educeret Iudaeos qui in insula habitabant, et eos mare transire faceret. Dicebat enim eis ipsum esse qui olim Israelitas mare Rubrum transire fecisset. Per annum circuivit pagos et civitates huius insulae, et hortabatur Iudaeos qui in ea habitabant ut verba sua acciperent ; suadebat eis ut bona sua derelinquant, et pollicebatur eis se, tanquam in arida, per mare deducturum eos in terram promissionis. Hi vero in hanc spem verbis eius inducti sunt, et iam coeperunt omne

[1] ὄργανον. — [2] βῆμα. — [3] διακονικόν. — [4] SOCR., VII, XXXIV. — [5] *Chron. Edess.* (LIX). — [6] SOCR., VII, XXXVIII.

opus neglegere, et spernebant etiam quae possidebant, cuilibet * p. 212 permittentes ea capere * prout volebat. Cum advenisset dies ab impostore Iudaeo eis praefixa, ipse quidem praeibat, omnes autem eum sequebantur cum uxoribus et parvulis cuiusque aetatis. Deduxit eos in verticem montis mari prominentis, et eos se in mare praecipitare iussit. Et cum id fecissent qui primi ad hoc cacumen venerant, statim mortui sunt : (alii) illisi (scopulis), alii aquis suffocati; et, ut ita dicam, omnes periissent nisi, ope divinae providentiae, viri christiani piscatores et negotiatores ibi adfuissent, qui arripuerunt et salvaverunt eos qui praefocabantur aquis. Et tunc perceptionem habuerunt suae dementiae dum in malis versantur. Et alios qui adveniebant, ne se ipsos in mare proicerent prohibuerunt hi qui aderant, narrantes eis interitum eorum qui se prius proiecissent. Cum autem fraudem cognovissent, vituperabant suam nimiam fiduciam, et Pseudomosem interficere volebant ; sed non potuerunt eum apprehendere, nec amplius eis visus est. Multis quidem suspicio fuit illum daemonem esse qui speciem humanam, in perniciem gentis eorum, induisset. Quam ob rem, multi ex Iudaeis dereliquerunt iudaismum et ad chrisnianismum confugerunt.

Anno 747°, mortuus esse Maximus, episcopus Constantinopolis, et sedem eius accepit sanctus Proclus. Proclus autem ossa sancti Mar Iohannis ab exilio Constantinopolim adduxit, * p. 213 et ad unitatem revocavit * eos qui Iohannis causa divisi erant [1].

Eo tempore, Iohannes regionem Romae magnae vastare voluit, cum multis Barbaris, qui congregati cupiebant diripere Romam et omnia Italiae Occidentalia loca [2]. Id audivit imperator. Pro more autem suo, ad Deum remisit totam sollicitudinem suam, et ei commisit totam rei curam, assidue perseverans in oratione ; nec multum moratus est quin quae petebat acciperet. Fulmen enim e coelo cecidit et eorum ducem perculsit cremavitque cum multis e Barbaris qui cum eo erant. Reliqui vero gravi lue et morbis perempti sunt ; et demum ignis de caelo descendit et multos ex eis qui superant absump-

1 Socr., VII, xlv. — 2 Socr., VII, xliii.

sit. Res autem magnum terrorem iniecit Barbaris, cum viderent Romanos a Deo adiuvari, et ipsos sine proelio perire; et a dicione illorum discesserunt.

Anno 755°, mortuus est sanctus Cyrillus, patriarcha Alexandriae.

Et anno 756°, factus est Dioscorus patriarcha Alexandriae [1].

Et anno 757°, congregata est secunda synodus Ephesina. Principes huius synodi erant hi : sanctus Dioscorus, patriarcha Alexandriae ; Iuvenalis, ep. Ierusalem ; Iulius episcopus Coi [2] et locum tenens Leonis Romae, nam nondum a vera fide nicaena defecerat Leo ; et Stephanus, ep. Hierapolis. In hac autem synodo excommunicaverunt Flavianum patriarcham Constantinopolis, Eusebium Dorylaei, Domnum patriarcham Antiochiae, Theodoretum * Cyri, Hibam Edessae, Danielem * p. 214 Harran, et Sophronium Telae.

Et eo anno, vaticinabatur Pelagius, presbyter edessenus, qui ab Hiba expulsus est, eo quod redarguebat illum propter pravam eius fidem [3]. Qui nobis narravit, abba Petrus Iberus, de beato Pelagio edesseno dixit: Incumbebat operibus virtutis, et erat monachus et propheta ; qui cum audivisset blasphemias Hibae, episcopi Edessae, aperte illum redarguit, et multum ex parte illius passus est ; et, ab eo expulsus, in partes Palaestinae venit et in quiete sedit, cum adhuc viveret Iuvenalis, ante synodum et transgressionem fidei. Et sic in eo gratia habitabat, ut repleretur spiritu prophetiae et saepius visiones videret. Is quidem assidue veniebat apud abba Petrum, qui tunc erat in quiete, in campo [4] Maiumae iuxta Gazam, propter magnam dilectionem qua invicem iungebantur. Quadam autem die, dum per loca arenosa campi ambulat et disputat cum patre nostro de cogitationibus et virtutibus in Deo, dicebat se in stupore fuisse et vidisse, septem annos ante concilium chalcedonense, trangressionem fidei quae ab episcopis Chalcedone facienda erat. Et etiam nomen impii Marciani pronuntiavit, cuius diebus et cuius operibus adventura erat, et reliqua per singula.

[1] *Chron. Edess.* (LXIII). — [2] Κῶς. — [3] Ex *Plerophoriis* (§ II). — [4] λάϐρα i. e. λαύρα.

* p. 215 Dixit etiam Petro : Mihi et tibi, pater, concessum est * id tempus assequi, quo persecutionem patiemur cum omnibus sanctis, qui recusaverunt consensum dare transgressioni fidei, et sic in persecutione consummabimur. Quod etiam in fine adimpletum est, secundum verbum eius.

Item, vaticinatus est de Pulcheria, sorore Theodosii et matrina abbatis Petri Iberi, et de eiusdem pugna cum sanctis, et de coniugio cum Marciano.

Ipse enim Abba Pelagius[1], propheta, prout nobis narrabat abba Petrus, cum esset cum aliis sanctis apud senem, rursum aliam visionem habuit ante synodum, et coepit dicere, dum flebat: « Vae Pulcheriae ! vae Pulcheriae ! vae Pulcheriae ! ». Et postquam longa deprecatio a nobis ei oblata est ut nobis revelaret quid sit quod ab eo dictum est, ait : « Pulcheria quae vovit Deo virginitatem et Nestorium expulit, quam omnes sancti ubique describebant tanquam sanctam et virginem, quae columna erat orthodoxorum, transgressura est fidem et virginitatem , se tradet viro cui nomen Marcianus, et sanctos vexabit. » Quod etiam accidit ; et adimpletum est verbum eius. Trangressa est vota sua et castitatem quam voverat Christo, et se matrimonio iunxit Marciano ; et facta est haeres regni eius et eius impietatis, et suppliciorum quae ei reservantur. Et post sex annos, inquit, ambo morientur, non relinquentes haeredem.

Item, de Iuvenale *episcopo* Ierusalem idem sacerdos Pelagius locutus est, ut nobis narravit Pamphilius diaconus ecclesiae
* p. 216 hierosolymitanae, qui erat * eius amicus[2]. Is aliquando ivit cum eo ut oraret in loco sancto Golgotha, dum adhuc nox erat : talis enim erat mos eius. Cum autem perseveraret in oratione, in visionem raptus est ; et fletu lacrimisque captus, coepit dicere : « Iuvenalis ! Iuvenalis ! (Iuvenalis !) ». Demum, postquam cessavit fletus et visio, a diacono Pamphilio, seorsim ante eum prostrato, interrogatus est quid fuerit visio Iuvenalis, et quare incessanter cum fletu clamaret : « Juvenalis ! ». Ille autem dixit : « Quemadmodum nunc vides Iuvenalem a mona-

[1] Ex *Plerophoriis* (§ III). — [2] Ex *Plerophoriis* (§ IV).

chis et clericis cum pompa deductum, ita, si in hac vita fueris, videbis eum a militibus et diabolis adductum. »

⌜Etiam Elladius Cellarum vaticinatus est, et praedixit de persecutione et de rege Marciano, antequam fuerit; et etiam de Dioscoro Alexandriae, qui illi non paruit et ab illo persecutionem passus est, praemonstravit[1]. Iohannes presbyter Alexandriae, qui dicebatur de domo Tatiani, vir notus et honorabilis, nobis narravit : « Cum essem iunior cupidus eram mundo renuntiandi; et cum mos mihi esset adeundi abbatem Elladium, prophetam Cellarum, ad eum cucurri ut aperirem ei placitum meum, et ab eo discerem num probaret Deus desiderium meum et sollicitudinem, utque pro me orare illi suaderem. Ille autem dixit mihi : « Exspecta paullulum, non enim video nunc tranquillitatem; sed i, quiesce, et curam habeas proficiendi in operibus virtutis; nam, post certum tempus persecutio Ecclesiam assecutura est; tunc fugies, * huc venies * p. 217
et fies monachus. » Et ego abbati Elladio dixi : Quaenam persecutio? Nunquid paganismus *vires* resumpturus est? Dixit mihi : Non, sed surget imperator impius nomine Marcianus, et urgebit episcopos ut scripto profiteantur eum non fuisse deum qui crucifixus est. Et cum omnes ei assentientur et oboedient, solus episcopus Alexandriae, Dioscorus, inquam, resistet ei; propterea tradetur et pelletur in exsilium, in quo moriturus est. Et cum dicerem ei : Sinet populus Alexandriae eum proficisci in exsilium? dixit mihi : Cogetur; et alius eius loco creabitur, apostata. Et cum affligerer his quae dicta sunt, ait ille : Sed Deus suscitaturus est illis diebus sacerdotem eius voluntatem perficientem, — designat quidem beatum Timotheum, — et occidetur eius decessor qui tyrannice agebat, — innuit de impio Proterio, — fidelis autem *episcopus* postquam paucis diebus manserit in episcopatu in exsilium eicietur. Et cum, his dictis, sileret senex, magna in angustia fui et dixi : Mar abba, manebit episcopus in exsilio, et periet civitas et tota Aegyptus, et dominabitur impietas? Ipse tacebat, et cum persisterem illum rogare mihi dixit : Si fuerit tempus

[1] Ex *Plerophoriis* (§ VII).

revertetur, et postquam brevi tempore manserit, in recta fide morietur. » Et cum, his dictis, sileret, coram eo cecidi, cupidus ab eo discendi quae postea *fient*. Ille autem dixit mihi : « Sufficit tibi huc usque. Mox enim post haec tempus Antichristi adveniet. »

* p. 218 ⌜Etiam abba Zeno loquutus est * de synodo et de persecutione sanctorum[1]. — Id etiam[2] abba Zeno, circumvagus et propheta, e pago Kephar Se'arta[3] in Palaestina, dixit abbati Stephano, diacono Ierusalem, et praenuntiavit antea concilium Chalcedonense. Cum enim vellet Stephanus peregrinationem[4] propter Deum suscipere, ut honorem peregrinorum mereretur, hac de causa venit apud abbatem Zenonem, eum interrogaturus num Dominus probaret zelum suum. Ille autem dixit ei : Vade, nunc. Futurum enim est ut persecutio et rebellio haereticorum Ecclesiam exagitent propter fidem rectam. Tunc etiam invitus proficisceris in peregrinationem, si orthodoxus manseris, et in ea consummaberis[5], propter synodum quae Chalcedone fiet.

⌜De quodam sancto qui in valle[6] habitabat, et de bello quod cum eo gessit Satanas, qui etiam manifestavit ei de synodo eam ab ipso congregandam esse[7]. — Narrabat nobis abba Innocentius ex Pamphylia, vir castus et fratrum princeps, dicens : Est in Pamphylia vallis lata et profunda in qua quidam ex sanctis ascetis habitabat. Is ante synodum vidit Calumniatorem ad se venientem et dicentem : « Procidens, me adora ! » Sanctus autem sufflavit in eum et increpavit eum. Discessit autem impurus diabolus, dum dicit ad illum : Quare recusas me adorare? Ecce congregaturus sum omnes episcopos Chalcedone, et ego synodum faciam, et ibi omnes episcopi me adorabunt.

1 Minio scriptum. — 2 Excerptum e *Plerophoriis* (§ VIII). — 3 Hodie *Khirbet Chaʿarta*. — 4 ξενιτεία — 5 Aliquid praetermissum videtur. In *Plerophoriis* legitur : « Si diligens orthodoxiam manseris. Quod etiam ei accidit; nam denique profectus est in peregrinationem et in ea consumptus est, propter synodum Chalcedonis ». — 6 Non ܥܠܝܐ sed ܥܠܒܐ habet codex. — 7 Minio scriptum. Narratio in *Plerophoriis* (§ IX).

ˈItem, abba Paulus, ex Thebaide, dicit[1] : * Post viginti annos transgressio fiet ab episcopis, quae est discessio a Deo, quam praedixit Apostolus[2]; et id per virum impium qui erit imperator, nomine Marcianus. Is autem imperator post annos circiter sex morietur, et post eum erit brevi tempore vir fallax qui faciet partim pacem et tranquillitatem in Ecclesia; et sic res evolventur usque adventum Antichristi. * p. 219

[Rursum abba Andraeas[3]. — Is cum haberet visionem vidit turbam numerosam episcoporum qui concitabant fornacem ardentem, et parvulum pulchrum, similem lumini, quem proiciebant in ea; et obliniverant fornacem undique, ita ut neque fumus ex ea videretur neque aer in eam intraret. Et post tres dies vidit puerulum exeuntem e fornace sanum, et cognovit eum esse Dominum. Et cum solitus esset eum alloqui, dixit ei : Domine, qui sunt isti qui hoc tibi fecerunt et te in fornacem proiecerunt ? Ille autem ei respondit : Episcopi iterum me crucifixerunt, et gloriam meam tollere voluerunt. Et bene dixit nam Nestoriani infirmitate Iudaeorum laborant, dicendo simplicem hominem esse eum qui crucifixus est, non Deum incarnatum. — Rursum, intuens senex, vidit senem quemdam a longe stantem et caeteris episcopis non assentientem et non se eis adiungentem, neque quando fornacem concitabant neque quando proiecerunt parvulum, et ei illuserunt. Et is senex dixit * ad puerum : Is senex quis est ? Ille autem dixit : Est Dioscorus, archiepiscopus Alexandriae, qui solus non participavit consiliis eorum. — Senex quasi fiduciam sumens, incitatus est et ait Domino : Undenam fit ut omnes episcopi Alexandriae usque ad mortem pro veritate decertent ? Ille autem dixit : Ex quo Simeon Cyrenaeus portavit crucem meam — Cyrene autem est in parte Aegypti — abhinc prophetice praevidi quod Aegyptus, — cuius pars est Cyrene, quae in Libya sita est — usque ad finem crucem meam portabit, et mihi adhaerebit, et zelum pro me usque ad mortem manifestabit. * p. 220

1 Minio scriptum. — 2 Alludere videtur ad II *Thess.*, II, 3. — 3 Minio scriptum. E *Plerophoriis* (§ XIV).

Constantinopoli autem fuit patriarcha, loco Flaviani, Anatolius; et Antiochiae, loco Domni, Maximus; et Edessae, loco Hibae, Nonus [1].

Synodus autem secunda Ephesi sanxit totam fidem nicaenam, et confirmavit etiam primam synodum Ephesi sine ulla imminutione.

Anno 758°, in Ierusalem et in omnes vicos circumvicinos e caelo descendit pulvis abundans et collyria cujusque generis [2]. — Cum enim mox futura erat synodus illegitima subito factum est caelum tenebrosum cum eclipsi et nebulis densis; et pluebant in sanctam urbem (Ierusalem), et in omnes vicos circumvicinos, et in multa Palaestinae loca, collyria figura omnino paria et imitantia ea quae ab hominibus efformantur, et in eis erant signa diversa et abstrusa; nonnulli qui eis impru-
* p. 221 denter usi sunt occaecati sunt, * et dicebant Hesychium, oratorem [3] Ierusalem, ex eis multa collegisse et ostendisse imperatrici Eudoxiae, et etiam misisse Constantinopolim in demonstrationem prodigii quod significativum erat caecitatis regnaturae in mundo per apostasiam episcoporum. Videbatur etiam pulvis abundans subter ista collyria, ut manifestum sit ea e caelo descendisse.

⌜Anno 759° [4], crux enim veneranda quae fulgebat et resplendebat a multis annis in templo sancto Adscensionis repente combusta est et in cinerem conversa. Erat autem magna : posita fuerat ab imperatrice Helena in ecclesia Ierusalem. Is quidem eventus perturbavit cor omnium Dei timentium, ita ut imperatrix Dei timens Eudoxia, ad consolationem et supplicationem populi, pro ea aeream hanc fecit quae etiam nunc videtur et refulget; sunt in ea sex millia librarum aeris.

Anno 762°, mortuus est beatus Theodosius junior ; die autem mortis eius facta est vox de caelo dicens: Periit sanctus de terra, et nemo est qui recogitet corde [5]. Haec autem vox ab omnibus in urbe imperiali audita est.

1 Minio scriptum. — 2 Minio scriptum. E *Plerophoriis* (§ x). — 3 Sic *Pleroph.* ; vox in nostro cod. ignota. — 4 Minio scriptum. *Plerophoriae* (§ xi). — 5 Cf. Ierem., xii, 11.

Vixit autem imperator Theodosius annos quinquaginta, et ex eis regnavit XLII, nam octo annos natus regnavit, dum Anthemius praefectus [1] erat eius educator [2].

⌜De imperio Marciani et de obscuritate quae texit (omnem terram) [3] in die qua coronam sumpsit, significante caliginem quae transiit super Ecclesiam et mundum [4]. — Surrexit * post * p. 222
eum Marcianus. In die autem quo ad imperium elevatus est impius Marcianus et cinxit coronam, subito omnem terram occupaverunt tenebrae cum caligine et pulvere qui pluebat. Tenebrae erant sicut illae quae occupaverunt Aegyptum, et ita obscuraverunt aerem, ut omnes incolae urbis imperialis in grandi timore et magna angustia fuerint : vehementer ululabant et lugebant quasi consummatio cito adveniret : id erat prophetia obscuritatis, quae futura erat super omnem terram per hunc tyrannum, et occaecationis ac caliginis in recessu a timore Dei; quasi tota creatio, ut ita dicam, erat in luctu indicibili et praesagiebat futuram apostasiam a Deo, et repulsionem fidei orthodoxae, per impium imperatorem et per congregationem numerosam episcoporum universi. Tenebrae autem ita manserunt usque ad vesperam. Tyrannus autem cum videret perturbationem et tristitiam militum ac totius civitatis, et omnes augurare de regno suo tanquam futuro suscitatore toti mundo magnorum malorum, timuit et in magna angustia fuit. Primum quidem composuit scripta publica, quibus arte usus est erga iram Dei, et secum reputavit decipere populos. Contrarium enim dicebat, ut edocebit id scriptum eos qui illud legent : « Decet ut abundantiam bonorum magnorum omnis populus exspectet e regno meo; obscuritas enim imperatoris praedecessoris mei dispelletur quando obvium ei erit lumen pulchrae gubernationis meae. » — Tale est initium et principium mandatorum eius. Id autem scriptum, quod in omni * orbe diffusum est, eis qui * p. 223
habent aures ad audiendum et oculos ad videndum et cor ad recogitandum [5], argumentum certum est et indicatio insurrec-

1 Gr. : ὕπαρχος. — 2 Cf. SOCR., VII, I. — 3 Sic *Pleroph.*, ; voces lapsu omissae videntur. — 4 Minio scriptum. Narratio in *Plerophoriis* (§ x). — 5 Cf. MATTH., XIII, 43.

tionis scriptae quam mox et sine mora secutae sunt per studium tyranni transgressio et abscessio a Deo quae ab episcopis Chalcedone factae sunt.

Marcianus autem duxit Pulcheriam, sororem imperatoris Theodosii iunioris, postquam annos L virginitatem suam servaverat, et etiam Nestorium ipsa eiecerat; et transgressa est promissiones suas erga Christum et etiam eius fidem, et ne exiret e palatio facta est Marciano uxor; et apud ipsam adimpleta est prophetia quam de ea prophetavit ante longum tempus sanctus Pelagius edessenus : futurum est ut Pulcheria transgrediatur promissiones suas virginitatis et fidei, et se consociet Marciano, et per eos fides pervertatur, ut supra scriptum est [1].

Quomodo et undenam coeperint mala emanare in Ecclesiam et in fidem hoc anno [2]. — Non probrum sit auribus sapientium cum audient hanc seriem qua exponere curamus undenam coeperint mala quae orta sunt in Ecclesia, et quis seminaverit et quis irrigaverit hanc radicem amaram, quae produxit ramos et fructus, et abscondit universum mundum. Theodoretus, ille qui, propter pravam fidem, a Dioscoro eiectus est, cum Hiba Edessae et Daniele Ḥarran, et Flaviano Constantinopolis, ac eorum sociis qui cum eis eiecti sunt [3], cum invenissent tem-
* p. 224 pus opportunum dolo eorum, collegerunt aurum * copiosum et adscenderunt ad Leonem, patriarcham Romae, et omnia ei nota fecerunt et, munere quod oculos animae occaecat, eum eorum dolo conciliarunt, et transgressus est fidem suam, et fecit eis scriptum, iuxta placitum eorum, quod vocatur Tomus, quasi adversus doctrinam Eutychis. Scripsit igitur ipse Leo et commendavit [4] eos imperatori Marciano et uxori eius Pulcheriae, sorori Theodosii. Haec fecit aurum in Leone patriarcha et in fide. — Pulcheria, quia plus quam Theodosium fratrem suum honorabat Leonem eius Tomum recepit, et etiam Marcianum devinxit placito Leonis. Verum diebus Theodosii ortho-

[1] Cf. p. 160. — [2] Minio scriptum. — [3] Vox rescripta; primitus videtur fuisse ܐܬܕܒܩܘ « adhaeserunt ». — [4] ܐܓܥܠ est mendum typographicum ; codex recte habet ܐ̇ܓܥܠ.

doxus erat Leo, sed pondus auri ei oblati a Theodoreto et Flaviano et Hiba, tunc corrupit ipsum et fidem eius [1] et corrupit totam Ecclesiam per eius interventum.

Anno 764°, iussit Marcianus imperator et congregata est synodus Chalcedone [2]. — Ibi congretati sunt episcopi numero DLXVII. Cum congregati essent et lectus esset Tomus Leonis, omnes unanimiter surrexerunt ac tricies et sexies iuraverunt per vitam suam se non recepturos Tomum, nec ei adhaesuros. Et cum venisset imperator Marcianus, iussit ut quicumque non reciperet Tomum surgeret e sede et in terram sederet, et propter amorem sedium suarum et principatus eorum trangressi sunt sua iuramenta et fidem, et tranquilli sederunt in suis sedibus; sed nemo surrexit praeter solum Dioscorum, qui relegatus est Gangris, et eius loco instituerunt Proterium eius syncellum.

Principes autem huius synodi sunt hi [3] : Anatolius Constantinopolis, Iuvenalis Ierusalem, Theodoretus * qui a Dioscoro * p. 225 depositus est, cum locum tenentibus Leonis Romae.

De visione quae Chalcedone apparuit [4]. — Neque probrosum erit quod id ponamus in hac serie. Paucis diebus antequam iuberet imperator synodum illam Chalcedone congregandam esse apparuit species viri aethiopis parvi, turpissimo vultu, et (horrido [5]) adspectu. Ludebat et saltabat in omnibus plateis Chalcedonis, media die, et sic ab omnibus civibus huius urbis visus est, sed nemo eum apprehendere potuit; ita ut, quod apud eos id evenerit, tristitiam conciperent cives; dicebant enim Satanam in eo esse ut permittente Deo schisma in mundo suscitaret. Quod etiam revera accidit.

Noscuntur eo tempore apud Orthodoxos, Dioscorus Alexandriae, Petrus Iberus, Romanus archimandrita, Basilius, quem loco Iuvenalis *episcopum* fecerunt cives hierosolymitani, Marcianus monachus, Barṣauma samosatenus, monachus, Simeon stylita. Noscuntur autem Simeon, monachus ex [6]... et septuaginta discipuli eius; Paulus ex Saurta, Iacobus ex Kephar

1 Haec ad sensum sententiae parum limpidae in textu. — 2 Minio scriptum. — 3 Minio scriptum. — 4 Minio scriptum. — 5 Vox una deleta. — 6 Vox evanida.

Reḥima. Hucusque omnes qui quietem diligebant, in silvis vitam agebant; a Simeone coeperunt stylitae esse in mundo.

Post enim ea quae in concilio chalcedonensi facta sunt ortae sunt contentiones, multiplicata sunt scandala, suscitatae sunt perturbationes ubique in universa Ecclesia; dissensiones in omni loco fuerunt; gentes fideles alia in aliam irruerunt, et
* p. 226 pastores invicem ira homicida * et odio pernicioso se mutuo aggressi sunt, probris, persecutionibus, malis multis et iracunda comminatione ; ita ut, sicut scriptum est [1], totus ordo christianorum factus sit irrisio et contemptus vicinis eorum; adeo ut stultus et minime sapiens crucifixorum populus irriderent et contemnerent christianos, et ad tantam audaciam devenirent ut libellum scriberent, quod portae balnei in urbe imperiali affixerunt, ita scriptum :

Epistula quam Iudaei ad Marcianum imperatorem fecerunt post solutionem concilii chalcedonensis [2]. — « Misericordi imperatori Marciano populus Hebraeorum. Tanto tempore contempti fuimus quasi patres nostri Deum crucifixissent et non hominem. Ex quo autem congregata est haec sancta synodus Chalcedone, demonstravit quod hominem non autem Deum crucifiximus. Ideo persuasum habemus ut hoc delictum nobis condonetur, et synagogae nostrae nobis restituantur. » Ad tantam audaciam devenire potuit populus qui oblitus est Deum [3] qui fecit eum, et maledixit potenti qui liberavit eum.

Anno 766°, fuit terrae motus ingens et terribilis, in quo civitates et loca multa ruerunt, ita ut Tripolis Phoeniciae tota subversa fuerit.

Anno 768°, mortuus est Marcianus et regnavit post eum Leo. Et Ecclesia quidem perturbata mansit.

Anno 769°, Nonus episcopus Edessae aedificavit aedem Iohannis Baptistae et nosocomium pauperum, extra portam Bēth Šemeš. Aedificavit autem in ipso nosocomio martyrium
* p. 227 Mār Cosmae et Mār * Damiano [4].

Anno 770°, fuit vehemens terrae motus et in eo cecidit Antiochia Syriae; fuit quarta eius eversio, illuscescente domi-

1 *Ps.* LXXVIII (Peš. LXIXX), 4. — 2 Minio scriptum. — 3 Cf. *Ps*, CV (Peš. CVI), 21. — 4 *Çhron. Edess.* (§ LXVIII).

nica die decima tertia mensis ēlūl (septembris). Leo imperator aurum misit plurimum et eius ruinas reparavit.

Anno 771°, mortuus est sanctus Mar Simeon stylita[1]. Erat Ardaburius militiae praefectus[2] Orientis ; et convenerunt omnes Antiocheni clamantes et tumultuantes in eum, ut exercitum mitteret qui corpus beati raperet et adduceret eis in eorum civitatem. Ardaburius autem misit exercitum magnum Gothorum, qui arduo praelio potuerunt corpus beati rapere et Antiochiam adducere, ubi postquam magna cum pompa ab Antiochenis exceptum est ,statim fecerunt ei magnum martyrium in quo depositum est in theca.

Anno 776°, edictum protulit Leo imperator, ne quis auderet laborare die dominica, neve quis cithara, tuba, semitympano aut aliquo musices instrumento uti auderet die sancta dominica; sed ut omnia cessarent, omnes in ecclesia versarentur, et singuli requiescerent.

Anno 777°, Leo imperator Callinicum Mesopotamiae condidit[3].

Anno 782°, mortuus est Nonus, episcopus Edessae, et eius loco fuit Cyrus[4].

Anno 783°, Leo imperator suscitavit gravem persecutionem adversus Arianos, in omnibus locis suae dicionis; eos expulit et eiecit; eorum ecclesias sumpsit, et vetuit ne ullo modo congregarentur.

Anno 784°, cecidit * pulvis[5] de caelo pluviae instar, et con- * p. 228
densatus est in terram et in tegulas ad spithamam[6]. Tota civitas et tota regio[7] fuit in magno timore; terror et commotio invaserunt omnes homines, qui perseverabant in oratione, in afflictione et lacrimis diu noctuque; singuli id dicebant: Is pulvis, qui pluit de caelo, ignis erat quem ira sua Deus in terram immissurus erat; misericordia autem Dei viventis pepercit mundo et illum exstinxit et in cinerem vertit, ne incenderet et consumeret totum genus humanum. Et nunc

1 *Chron. Edess.* (§ LXIX). — 2 στρατηλάτης. — 3 *Chron. Edess.* (§ LXX). — 4 *Ibid.* (§ LXXI). — 5 Cf. THEOPH., ad ann. Chr. 466; *Chron. pasch.*, ad ann. 469. — 6 THEOPH.: « ad palmam ». — 7 πολιτεία.

convertamus a malis nostris, ne omnino pereamus in peccatis nostris.

Anno 785°, fuit incendium magnum in urbe regia, cui simile nunquam fuit; ignis vehemens invaluit in ea et combussit a mari ad mare et non... [1]. Hoc autem videns Leo imperator adscendit et fugit ad transitum templi Mar Mamae, et ob angorem suum illic mansit sex menses. Illic autem construxit aedificium magnum quod appellatur Nova-Porticus [2].

Anno 786°, Leo senior Leonem, nepotem a filia, filium Zenonis, secum in imperio regnare fecit.

Anno 788°, mortuus est Leo senior et imperium tenuit Leo iunior, cum esset natus annos septem.

Anno 789°, Leonem iuniorem decepit mater eius, tanquam puerulum, et ei dixit : « Quando pater tuus te venerabitur
* p. 229 cum principibus, sume coronam capitis tui et impone * in caput eius. » Leo autem iunior, cum esset parvulus infantulus septem annorum, ita fecit. Tulit coronam imperii quae erat in capite suo, et imposuit capiti patris sui. Tum apparuit Zeno imperii detentor, qui erat genere Isaurus. Leonem filium suum consulem [3] fecit.

Anno 790°, in Zenonem rebellavit Basiliscus, frater Verinae, uxoris Leonis senioris, ut occuparet imperium. Zeno autem in Isauriam fugit et ibi habitavit [4].

Anno 791°, fuit terrae motus vehemens, et in eo ruit Gabala, civitas Syriae. Misit Basiliscus quinquaginta libras auri, et eam reaedificavit.

Anno 792°, Zeno Constantinopolim reversus est cum exercitu magno, et a toto senatu exceptus est [5]. Basiliscus fugit ad magnam ecclesiam et baptisterium ingressus est. Misit Zeno et vestem imperialem eripuit ei, et uxori et liberis eius. Et quia dedit eis verbum ne gladio ab ipso occiderentur, misit eos ad Limnas [6] castrum Cappadociae; in quadam turri inclusi sunt; clausa est porta in eos et ibi mortui sunt, vivi consepulti.

1 Decem voces aut deletae aut dubiae significationis. — 2 Νέος ἔμβολος. — 3 ὕπατος. — 4 Evagr., III, iii. — 5 Evagr., III, viii. — 6 *Chr. pasch.* (ad ann. Chr. 478) : εἰς Λίμνας. Cf. notam Ducangii ad locum.

Anno 794°, Zeno Petrum, patriarcham Antiochiae, in exsilium misit, non propter fidem, sed quia ei insidiatus erat et se cum Basilisco sociaverat. Et eius loco instituit Stephanum. Is paulo post deprehensus est esse Nestorianus. Cum autem procederet ut celebraret commemorationem XL Martyrum extra civitatem, * clerici eius congregati calamos acuerunt et eum * p. 230 transfoderunt, et mortuus est. Eius cadaver in Orontem fluvium proiecerunt. His auditis, Zeno ab eis ultionem sumpsit, et illius successorem instituit Calandionem, qui etiam nestorianus inventus est, et eum in exsilium eiecit. Tum magnum clamorem fecerunt Antiocheni, ut reverteretur Petrus qui expulsus erat; permisit imperator ut reverteretur, et occupavit sedem suam omnibus diebus vitae suae, et Antiochiae mortuus est [1].

Anno 796°, fecit imperator Zeno scriptum quod vocatur Henoticon, et univit Ecclesiam diebus suis. Cum enim assumeret imperium invenit Ecclesiam sanctam ubique perturbatam et agitatam. Schismata etiam fuerunt propter innovationes quae, praeter ordinem ecclesiasticum, factae sunt in concilio Chalcedone in civitate congregato, et caetera confusionis principia in eo concilio posita. Et cum multum studuisset perturbationibus, quae ubique erant, compescendis, excogitavit libellum parvum unionis facere, Henoticon nempe, ut dixi; quia hucusque gentes multae ab invicem divisae erant. Sed etiam cum ita fecisset, haereticorum tenaciores factionem oppositionis ordinarunt adversus libellum [unionis]; sed, ut scriptum est [2], meditati sunt consilium, sed non potuerunt stabilire. Ecclesia autem sancta, cum accepisset apologiam quam in libello fecit, ab hoc tempore ad unionem pervenit, et quies ac tranquillitas inter factiones exstiterunt ; mala numerosa et contentiones ubique cessaverunt. Mihi autem placuit ut ipsum libellum, quod ubique valde celebratum est, in hoc ordine apponerem; quod sic se habet :

⌜Exemplar libelli Henotici, quod fecit imperator Zeno, propter unionem Ecclesiae, quod sic se habet [3] :

1 EVAGR., III, X-XI. — 2 Ps. XX (Syr. XXI), 12. — 3 Minio scriptum. Exstat graece apud Evagrium (III, IV), latine apud Liberatum (cap,

* p. 231 Autocrator Caesar * Zeno pius, victor, triumphator[1], maximus, et venerabilis semper Augustus : episcopis et populis qui sunt in Aegypto et Alexandriae, et in Libya et in Pentapoli. — Firmitatem et confirmationem et vim et scutum invincibile imperii nostri scimus esse solam fidem quae est recta ac vera, quam, afflatu divino, statuerunt CCCXVIII patres sancti qui Nicaeae congregati sunt, firmaverunt autem rursum pari modo CL patres sancti, qui Constantinopoli congregati sunt; et diu noctuque precatione assidua et studio et legibus utimur, ut per eam Ecclesia sancta catholica et apostolica ubique augeatur, quae est mater incorruptibilis et indissolubilis sceptri imperii nostri; dum in pace et in concordia circa Deum populi fideles perseverant, preces acceptabiles pro imperio nostro offerunt cum venerabilibus episcopis, et Deum timentibus clericis et archimandritis et monachis. Cum enim Deus magnus et Servator noster Iesus Christus, qui e virgine et Deigenitrice Maria incorporatus et natus est, confessionem et obsequium ex consensu *ortum* laudat et benigne accipit; foetus[2] enim ini-
* p. 232 micorum peribunt et delebuntur ; * omnes autem homines potestati nostrae post Deum collum suum inclinabunt, dum pax et bona quae sunt ab illa : mixtura optima aeris, et frugum ubertas, et omnia quae utilia sunt hominibus, largiter donabuntur. Ita ergo, cum fides immaculata nos et res Romanorum conservet, petitiones nobis oblatae sunt ab archimandritis Deum amantibus et rectoribus et aliis monachis, qui cum lacrimis exorabant ut unio sanctarum Ecclesiarum fieret, et membra membris coniungerentur, quae osores rerum bonarum iamdudum separare festinaverunt, quia sciunt, si pugnarent cum integro corpore Ecclesiae, se vincendos fore. Ex hoc enim accidit generationes innumeras, quas tantis vitae annis tempus removit, alias quidem lavacro regenerationis abiisse, alias autem, cum divinae communioni non participaverint, ad exitum per res humanas inevitabilem deductas fuisse, et myriades caedium

XVIII), syriace apud Michaelem Syrum (ed. Chabot, p. 253), et apud Pseudo-Zachariam, in hac serie, t. V, p. 227 ; is textus a nostro, praeter aliquot variantes mere orthographicas, perpaucis vocibus vix differt.

[1] Litt. : victoria illustris. — [2] γένη.

perpetravisse et copia sanguinis pollutam fuisse non solum terram sed etiam iam aerem totum. Haec autem quis non optaret ut in bona voluntas nostra mutaret? Quapropter studemus ut sciatis nos et orthodoxorum Ecclesias totius dicionis imperii nostri et amantes Deum sacerdotes qui eas gubernant, unum symbolum et unam definitionem fidei recipere : illam nempe, quae supra dicta est, cccxviii * sanctorum Patrum, quam con- * p. 233
firmarunt memorati Patres cl [1]; nec habere nec habituros nec cognoscere quemquam habentem aliud praeter illud symbolum [2]; si quis teneat, eum alienum reputamus. Illud enim, ut diximus, conservare imperium nostrum confidimus, et cunctos populos qui, digni habiti baptismo vivificante, illud accipientes baptizati sunt; illud cui adhaeserunt omnes sancti Patres qui Ephesi congregati sunt [3], qui etiam impii Nestorii depositionem fecerunt et eorum qui postea eius opinionem tenuerunt. Hunc ipsum Nestorium et Eutychen, utpote qui contraria eis quae dicta sunt tenuerunt, et nos anathematizamus, cum recipiamus etiam duodecim capitula quae dicta sunt a memoria digno Dei amante Cyrillo, qui fuit archiepiscopus Alexandriae.

Confitemur unigenitum Filium Dei [et Deum] [4], qui vere homo factus est, Dominum nostrum Iesum Christum, qui est Patri connaturalis sua divinitate et idem nobis connaturalis humanitate, qui descendit et incorporatus est e Spiritu sancto et e Maria virgine Deigenitrice; et unum esse filium et non fuisse duos. Unius enim unigeniti Filii Dei dicimus esse miracula et passiones quas sua sponte in carne toleravit. Eos autem qui dividunt aut confundunt aut phantasiam introducunt prorsus non recipimus, quia incorporatio vera et sine peccato e Deigenitrice additamentum Filii non fecit; Trinitas mansit Trinitas etiam quando unus e Trinitate, Deus Verbum, incorporatus est. Scientes igitur nec * sanctas Eccle- * p. 234
sias ubique orthodoxorum, nec sacerdotes Deum amantes qui

1 Cod. noster hic addit « et rursum CCXX ». Est interpolatio. — 2 Locus perturbatus; cod. noster hic ponit verba : « praeter illud symbolum cccxviii Patrum, qui in Spiritu Sancto congregati sunt ». — 3 Cod. addit : « CCXX » (interpolatio). — 4 Sic gr.; vox lapsu omissa in cod.

illas gubernant, nec maiestatem nostram symbolum aliud aut aliam fidei definitionem praeter illam quae dicta est a sanctis patribus recepisse aut recipere, concordes estote in pace divina, sine dubitatione. Haec scripsimus vobis, non innovantes fidem, sed ut vos persuaderemus. Quisquis autem aliquid aliud opinatus est aut opinatur, nunc aut aliquando, sive Chalcedone sive in alia qualibet synodo, anathematizamus eum; praesertim eos qui dicti sunt ex nestorianis et ex eutychianis[1], et eos qui istorum opiniones tenent. Coniungimini igitur uni matri spiritali Ecclesiae ⌜sanctae et apostolicae[2], delectati nobiscum communione divina, secundum definitionem fidei quae una sola est, quae supradicta est sanctorum Patrum. Mater enim nostra sanctissima Ecclesia tanquam filios dilectos exspectat vos ut vos amplectatur, et audire vocem vestram exoptat. Festinate igitur. Hoc enim facientes et benignitatem Salvatoris nostri Christi Dei ad vos attrahetis, et a nostra maiestate laudabimini. »[3]

Orate pro nobis, electi Dei. Haec omnia sufficiunt caritati vestrae divinae. Orate pro nobis. Finis.

* p. 235 * RURSUM, RECENSIO HISTORIAE TEMPORIS AFFLICTIONIS QUAE FUIT EDESSAE, AMIDAE, ET IN UNIVERSA MESOPOTAMIA[4]. — Litteras accepi tuae sanctitatis Deum diligentis, o vir optime, sacerdos et archimandrita Sergi, quibus me iussisti scribere tibi, quasi in memoriam, quando venerit locusta, quando sol defecerit, quando fuerint terrae motus, fames et pestis, et bellum Romanos inter et Persas. Cum his etiam laudes magnae mihi in eis erant, quae me ipsum in magna verecundia constituerunt, cum revera ne una quidem earum ad me pertineat. Vellem autem ego scribere quae tuae sunt; sed impar est oculus mentis meae scrutari et videre, sicut est, stolam mirabilem quam tibi texuit et qua te ornavit voluntas tua strenua. Aperte enim vidi te in charitate legis adimpletiva fervescere, non solum fratrum qui nunc sub tuam potestatem sunt curam

[1] In cett. : « supra dictos Nestorium et Eutychem ». — [2] Desunt in graeco. — [3] Explicit Henoticon. Quae sequuntur verba sunt cuiusdam amanuensis. — [4] Minio scriptum.

habere; sed etiam omnibus doctrinae amicis qui ingressuri sunt tuum monasterium benedictum, per scripta vis diligenter relinquere memoriam afflictionum * quae temporibus nostris * p. 236 acciderunt propter peccata nostra, ut, cum legerint et viderint quae nobis acciderunt, caveant a peccatis nostris et liberentur a nostris flagellis. Mirari autem plenitudinem caritatis tuae, quae expansa super omnem hominem non exhauritur nec minuitur, et dicere rem sicuti est non possum, quia ad opus praesens non adfui, neque de ea narrare scirem ex conversatione quam semel habui tecum.

Ad instar Ionathae, amici fidelis, tu te mihi caritate adstrinxisti : illud autem non est tam mirabile quam istud, scilicet quod anima Ionathae animae Davidis adhaeserit [1] quando vidit per manus eius gigantem occisum et castra liberata fuisse, quia propter mirabilia eum dilexit; sed tu, cum nihil mirabile in me vidisses, magis quam teipsum me dilexisti. Neque quod Ionathas Davidem liberaverit a morte per manus Saulis, est tam mirandum quam tua ratio agendi erga me; nam dumtaxat quod ei debebat reddidit : ille enim prius liberavat eum a morte et dederat vitam ei, totique domui patris eius, ne occiderentur manu philistaei. Et quamvis talia a me erga te non facta sint, ecce continuo pro me Deum supplicas, ut me a Satana liberet et ne occidat me in peccatis. Sed potius dicere decet quod ad instar Davidis erga Saulem dilexisti me; et ita inebriatus es magnitudine tuae caritatis ut, ex fervore tui amoris, qualis sit gradus meus nescias, sed de me recogites quae me maiora sunt. Tempore enim priore doctrina epistularum tuarum indigentiae meae satisfecisti, et curam de me habuisti, instar patrum qui cum nihil proficuum acceperint a * filiis suis, omnia eis necessaria provident; hodie autem * p. 237 in discretione tua, te ipsum humiliasti et petivisti a me ut scriberem tibi ea quae vim meam superant; in qua re teipsum praesertim exaltas, quod cum scias illa me maiora esse, a me vis illa discere; ego non invidiam erga te concipio, nec recuso quod iussisti. Attamen scito quod ego, cum vidissem signa quae facta sunt et castigationes quae post ea venerunt, existimabam

[1] I *Reg.*, XVIII, 1.

ea digna esse ut scriberentur et in memoria servarentur nec oblivioni traderentur; sed dum considerabam debilitatem mentis meae et incapacitatem[1] meam, ab hoc refugiebam. Nunc autem, quia a te iussus sum id facere, in timore sum quasi vir qui bene natare nesciens iuberetur in profundas aquas descendere; sed quia confisus sum in precibus extrahentibus quae a te ad Deum emittuntur continuo pro me, credo in salvationem me hauriendum fore e mari in quod me proiecisti; iuxta vim meam, per eius vada natabo, quia eius profundum inscrutabile est. Quis enim capax est narrandi, ut decet, quae a Deo operantur in sapientia sua ad destructionem peccatorum et ad castigationem delictorum ? Accuratio enim divinae gubernationis etiam angelis abscondita est. Id cognosci potest e parabola zizaniorum quae est in evangelio[2]. Quando enim domino domus servi eius dixerunt : Vis, eamus colligere ea ? respondit eis ille, qui noscebat res sicut se habent : Non; ne forte
* p. 238 colligentes zizania, eradicetis simul cum eis * frumentum. Hoc autem secundum scientiam nostram dicimus nos : Propter multiplicitatem peccatorum nostrorum frequenter fiunt castigationes nostrae, et nisi custodia divina cingeret mundum ne dissolveretur, fortasse deficeret vita omnium hominum. Quibusnam enim temporibus instanter acciderunt calamitates huiusmodi, nisi illis in quibus nos nunc versamur ? Et quia causa earum non cessavit, etiam illae nondum cessaverunt. Praeter id quod oculis nostris vidimus et auribus nostris audivimus et in quo versamur, etiam terruerunt nos nuntia e proximo et e longinquo et res horrendae quae hic illic factae sunt : terrae motus terribiles, eversiones civitatum, fames et pestilentiae, bella et perturbationes, captivitas et denudatio regionum, destructiones et incendia ecclesiarum ; haec quae, cum te obstupefecerunt sua multiplicitate, mandasti mihi ut ea describerem verbis flebilibus et gemendis quae terreant lectores et auditores. Scio te id dixisse in tuo zelo pro rebus pulchris, ut sit contritio ad poenitentiam iis qui ea audient. Sed scito aliud esse scribere flebiliter et aliud scribere veraciter. Si quis naturali eloquentia praeditus velit, scri-

[1] ἰδιωτεία. — [2] Matth., xiii, 24.

bet narrationes tristes et lamentabiles. Ego autem rudis sum sermone meo, et in hoc scripto memorabo ea quae omnes homines regionis nostrae vera esse testarentur; et eorum est qui ea lecturi aut audituri sunt, ut ea examinantes, si volunt, accedant ad poenitentiam. Forsan quis dicet : quid utilitatis ex eis erit legentibus, si admonitio non sit mixta ipsi narrationi? Ego * autem, quia id non possum facere, dico sufficere castigationes quae super nos venerunt ut corrigant nos et eos qui post nos venient, et etiam doceant nos earum recordatione et lectione eas propter peccata nostra in nos immissas fuisse; si enim id non docerent nos, sine utilitate advenissent apud nos. Sed hoc non est dicendum. Vicem enim commentarii nobis implent castigationes ; et propter peccata nostra in nos immissas fuisse omnes fideles qui sub caelo sunt testantur, dum assentiunt verbo beati Pauli dicentis [1] : Dum iudicamur a domino nostro correptione corripimur, ut non cum mundo damnemur. — Omnino enim corripiuntur homines in hoc mundo ut avertantur a peccatis suis et fiat eis remissius iudicium mundi futurum. Qui autem occasione praevaricatorum corripiuntur, cum ipsi non peccaverint, merces duplex eis addetur. Misericordia enim est perpetua, etiam erga eos qui non sunt digni, propter benignitatem, gratiam et longanimitatem Dei qui vult ut persistat hic mundus usque ad tempus praefinitum in sua scientia infallibili. Res ita se habere manifestum est ex exemplis sacrarum Scripturarum et ex eis quae apud nos facta sunt, quae describere nobis propositum est. Ecce enim in nos acciderunt angustiae famis, etiam pestis, tempore locustae, ita ut proximi essemus devenire in perditionem nostram, et misertus est nostri Deus, cum non digni essemus; et dedit nobis parvam alleviationem ab angustiis quae nos opprimebant : et id, ut dixi, propter * benignitatem suam. Nobis autem, postquam recreati sumus, mutavit virgas et nos percussit per Assyrium qui cognominatur virga furoris [2]. Non quidem Persarum libertatem volo irritam facere dicendo Deum per illos nos percussisse, neque, post Deum, vituperationem audaciae eorum pro-

* p. 239

* p. 240

1 I *Cor.*, XI, 32. — 2 Is., X, 5.

fero, sed considerans quod propter peccata nostra non exegit ab eis ultionem, statuo illum per eos nos percussisse. Voluntas enim populi mali apparet praesertim in hoc quod misericordiam non fecit eis qui ante illum se inclinaverunt; solebat enim manifestare intentionem suam gaudendo de hominum infortunio, prout etiam propheta eum hac de re increpat, et prophetizando destructionem Babylonis, quasi ore Domini, dicit[1] : Iratus sum super populum meum quia contaminaverunt hereditatem meam, et dedi eos in manibus tuis, et non fecisti eis misericordiam. — Ita igitur etiam nos male tractaverunt secundum voluntatem suam sine misericordia, ut solent; quamvis enim ad corpus nostrum non pervenit virga castigationis eorum, nec potuerunt civitatis nostrae potiri quia non possibile erat ut evanesceret promissio Christi Abgaro regi fideli facta, dum dicit : Civitas tua erit benedicta, et inimicus in eam non dominabitur in aeternum[2]. — Sed propter fideles qui spoliati sunt, captivi facti sunt, occisi sunt, destructi sunt in ceteris civitatibus quae expugnatae fuerunt, et facti sunt ut lutum platearum, gustaverunt dolorem non mediocrem, omnes qui didicerunt pati cum patientibus. Etiam qui ab hoc
* p. 241 remoti erant, timore propter * seipsos torquebantur quia in sua infidelitate, putabant inimicum Edessae sicut ceterarum civitatum potiturum fore. Haec sunt de quibus tibi scribere parati sumus.

Quia autem, secundum sermonem sapientis Salomonis[3] : Provocatione fit bellum; et tu velis discere quibusnam causis provocatum est, ego volo tibi notum facere, paucis verbis, undenam ortae sint causae, etiam si de rebus praeteritis loqui videar. Deinde, paulo post, tibi notum faciam etiam undenam istae causae roboratae sint. Etsi enim propter peccata nostra excitatum est in nos bellum istud, tamen in factis manifestis sumpsit causam, quae volo tibi enarrare, ut lucide hoc factum cognoscas, ne devenias, cum hominibus insanis, ad vituperationem detentoris auctoritatis, imperatoris fidelis Anastasii :

[1] Is., XLVII, 6. — [2] Ex ep. ista apocrypha Iesu; cf. Phillips, *The Doctrine of Addai*, p. 4 (textus). — [3] *Prov.*, XXIV, 6.

non enim ab eo fuit initium belli, sed a longo tempore provocatum erat, ut ex eis quae tibi scribo intelligere poteris[1].

* Anno 609°, Romani Nisibim civitatem aedificaverunt et (* p. 242) fuit in potestate eorum annos sexaginta quinque. Post mortem Iuliani in Perside, quae accidit anno 674°, Iovinianus qui in Romanos regnavit post illum, pacem super omnia aestimabat, et propterea Persis concessit ut in Nisibim dominarentur spatio centum viginti annorum, et postea eam restituerent eius dominis; expleti sunt igitur isti anni tempore Zenonis, imperatoris Romanorum, at Persae civitatem restituere noluerunt, et id factum litigationem suscitavit. Rursum, pactum fuerat inter Romanos et Persas quod si indigerent alii aliis, cum eis esset bellum cum aliquo populo, se mutuo adiuvarent, dantes trecentos viros robustos cum eorum armis et equis, aut trencentos stateres pro singulis viris : hoc autem iuxta placitum partis quae auxilio indigebat. Romani ergo, adiuvante Deo omnipotenti, auxilio Persarum non indiguerunt. Imperatores enim fideles surrexerunt in imperio ab hoc tempore usque nunc, et auxilio caelesti dominatio eorum roborata est. Reges autem Persarum mittebant legatos et sumebant aurum propter eorum indigentiam, sed non, in opinione nostra, tributum sumebant, ut multi aestimabant. Diebus autem nostris Pherozes, rex Persarum, propter bella sua cum K u s ā n ā ī e[2], qui sunt Hunni, pluries accepit aurum a Romanis, at non fuit exactione tributi, sed ut zelatus pro eis quasi * pro illis certamina (* p. 243) sua ageret « ne (aiebat) transeant in regionem vestram ». Rem autem credibilem faciebant devastatio et captivitas quas in dicione Romanorum fecerant Hunni anno 707°, diebus imperatorum Honorii et Arcadii, filiorum Theodosii senioris,

1 Hic in cod. scriba qui supplementum exaravit notulas addidit, quae sic se habent :

Orate pro misero Elisha^{c} ex coenobio Zuqnin, qui scripsit hoc folium, ut misericordiam obtineat sicut latro qui erat dextrorsum.

Sint misericordiae magni Dei et Salvatoris nostri Iesu Christi super presbyterum Mar Ieshu^{c}a stylitam, e monasterio Zuqnin, qui scripsit librum hunc, memoriale temporum malorum quae praeterierunt, et calamitates ac perturbationes quas inter homines causavit ille tyrannus (*i. e. Persa*). — 2 Sic corrigendum, monente Nöldeke ; ms. : K ī ū n ā i e

quando tota Syria in manus eorum tradita est perfidia Rufini praefecti [1] et signitie Addaei magistri militum [2].

Auxilio auri quod sumebat a Romanis Pherozes subiecit Hunnos et plura loca regionis eorum sumpsit et suo regno adiecit. Denique autem ab eis captus est. Quod cum audivisset Zeno imperator Romanorum misit aurum de suo et liberavit eum, et pax fuit inter eos. Et pactum fecit Pherozes cum Hunnis quod non amplius trangressurus esset terminos eorum in bello; sed resipuit et promissioni suae Sedeciae instar mentitus est ac profecit in bellum, et sicut ille traditus est in manus inimicorum suorum, et totus exercitus eius devictus et dispersus est, et ipse vivus captus est, et promisit in superbia sua se daturum pro salvatione vitae suae triginta mulas drachmis [3] onustas. Et misit in regionem dicionis suae, sed vix potuit viginti onera colligere, totus enim thesaurus regis eius praedecessoris exhaustus fuerat in bellis prioribus ; pro autem decem reliquis oneribus constituit apud eos filium suum Cavadem pignus et obsidem, donec eis ea mitteret; et fecit eis promissionem secunda vice, quod non rursum bellum moveret. Et cum rediisset in regnum suum instituit capitationem in tota regione sua, et misit decem onera drachmarum et filium suum liberavit. Et rursum collegit sibi exercitum et ad debellandum profectus est; et tunc realiter in eo adimpletum est verbum prophetae quod dicit [4] : Vidi impium exaltatum sicut arbores
* p. 244 silvae, et cum transivi * non erat, et eum quaesivi et non inveni eum. — Cum enim fuit proelium et invicem commixta sunt castra, destructus est totus eius exercitus, et ipse quaesitus est et non est inventus, et usque hodie nescitur quid de ipso factum sit : nec si sub cadaveribus occisorum absconditum fuerit, nec si in mare seipsum proiecerit, nec si in caverna terrae se abdiderit et fame perierit, nec si in silva latuerit et a feris voratus fuerit.

Diebus autem Pherozis etiam imperium Romanorum perturbatum fuit. Odium enim conceperant aulici erga imperatorem Zenonem, eo quod genere Isaurus erat; et in eum rebellavit

[1] ὕπαρχος. — [2] στρατηλάτης. — [3] Syr. : z ū z ē. — [4] *Ps.* (hebr.) XXXVII, 35.

Basiliscus atque eius loco regnavit. Postea confortatus est Zeno et restitutus est in imperio suo, et quia expertus est odium plurimorum erga se, arcem munitam sibi constituit in patria sua, ut si quid mali accideret ei, sit in locum refugii. Habebat autem hac in re consilii participem stratelatem Antiochiae, nomine Illum, qui et ipse erat Isaurus; nam popularibus suis dabat gradus honoris et auctoritatem, et ideo praesertim odio erat Romanis. Cum autem constituta fuisset arx cum omnibus in ea necessariis, et ab Illo in ea depositum fuisset aurum innumerabile, is venit in urbem imperialem quasi edoceret Zenonem eius voluntatem adimpletam esse. Zeno autem cum sciret eum dolosum esse et appetere imperium mandavit cuidam militum ut occideret illum. Qui mandatum acceperat, cum multis diebus quaesivisset * opportunitatem * p. 245 rei secreto faciendae et non invenisset, Illum obviam habuit in palatio, et evaginavit gladium suum et levavit ad eum feriendum; sed statim unus militum qui adhaerebant Illo brachium eius cultro feriit, gladium cecidit e manu eius et aurem illi amputavit. Zeno autem ne detegeretur dolus suus erga Illum, iussit statim caput militi auferendum esse sine disquisitione. Hoc autem magis impulit Illum ut putaret Zenonem ei mandatum dedisse; et surrexit, inde discessit et Antiochiam descendit, in animo consilium ponens ad vindictam deveniendi quando ei esset opportunitas. Zeno autem quia timebat Illum, eo quod cognoscebat eius malitiam, misit Antiochiam ad eum quosdam notabiles et mandavit ei ut adscenderet apud se quasi vellet apologiam ei offerre « quod non ex parte sua factus est dolus ille, ipse autem eum occidere nolebat ». Sed mentem induratam Illi lenire non potuit. Eum enim contempsit et noluit obtemperare eius mandato nec apud eum proficisci. Demum adversus eum misit Zeno alium ducem exercitus [1], cui nomen Leontius, cum exercitu ei commisso, et ei praescripsit ut vi illum ad se adduceret, et si ei resisteret etiam eum occideret. Quando is Antiochiam advenit auro corruptus est ab Illo, et revelavit ei mandatum caedis sibi datum. Illus autem cum videret nihil ab illo dissimulatum fuisse, ostendit etiam ei aurum multum quod habebat, ob quod volebat Zeno occidere

[1] στρατηλάτης

eum. Et persuasit Leontio ut sibi consociaretur et secum rebellaret, cum etiam repraesentaret ei odium Romanorum erga Zenonem. Et cum is persuasus esset Illus potuit suum consilium
* p. 246 manifestare; solus enim non poterat * rebellare, nec ipse regnare; nam etiam eum odio habebant Romani propter stirpem eius et propter mentem eius duram. Leontius quidem Antiochiae regnavit nomine dum Illus erat rerum moderator; ut nonnulli dicunt, etiam Leontium occidere cogitabat si devincerent Zenonem. Eis autem se iunxerat vir incantator et perfidus nomine Pamprepius [1], qui omnia eorum consilia perturbavit et subvertit sua perfidia. Ut consolidaretur eis imperium, legatos miserunt in Persidem, cum auro copioso, ut cum ipsis pactum amicitiae concluderent, aut [2] si necesse esset exercitum in auxilium eis mitterent. Zeno autem, auditis iis quae Antiochiae agebantur, misit illuc cum exercitu numeroso stratelatem nomine Iohannem. Factio Illi et Leontii, cum audirent magnum exercitum in eos venire corde tremuerunt; et etiam Antiocheni timuerunt quia non obsidionem sustinere poterant, et vociferarunt in eos ut ex urbe exirent et, si capaces fuerint, obviam irent pugnae (cum Iohanne). Hoc magis perturbavit fautores Illi, et cogitaverunt ab Antiochia discedere et transire fluvium Euphratem in Orientem. Et miserunt unum ex suis, nomine Metronianum, cum quingentis equitibus, ut constitueret eis sedem imperii Edessae. Edesseni autem insurrexerunt adversus eum, et portas urbis clauserunt, et murum custodierunt, ut solet tempore belli, et eum ingredi
* p. 247 non siverunt. Et cum * id audiverint fautores Illi, coacti sunt in praelium Iohanni occurrere; ⌜sed id non potuerunt [3], quia viriliter in eos cecidit Iohannes et maiorem partem exercitus eorum destruxit, et ceteri dispersi sunt unusquisque in suam civitatem. Ipsi autem, cum impares essent ad sustinendum eius impetum, eos qui apud ipsos remanserant abduxerunt et se receperunt in arce quam supra diximus [4] munitam esse et omnibus instructam. Iohannes autem eos persequutus est, sed

[1] Cod. Pnprp ; gr. Παμπρέπιος; cf. *Hist du Bas-Empire*, VII, p. 132. — [2] Condicio prior praetermissa videtur. (Wright.) — [3] Sententia parum concinna. — [4] Cf. p. 181.

non attigit eos, et resedit in [1] ... prope arcem, et custodiebat eos. Hi vero quia confidebant in firmitate arcis, coeperunt demittere exercitum qui apud eos erat, et apud se viros selectos fortissimosque tantum retinuerunt. Iohannes autem iram suam in eos qui ex arce descenderunt placavit; factioni vero Illi nocere nullo modo potuit, ob difficilem aggressum naturalem arcis, quae etiam opere manuum mirabiliter munita erat, et non erat ad adscendendum in eam nisi una semita in qua duo simul adscendere non poterant ob eius angustiam. Post longum tempus, cum exhausta essent artificia Iohannis, dolus fuit erga factionem Illi ex parte eorum qui cum eis erant, et capti sunt dum dormiebant. Iussu autem Zenonis ambo occisi sunt, cum illis qui eos tradiderant, et manus amputatae sunt omnibus qui cum eis erant. Talis erat perturbatio imperii Romani diebus Pherozis.

Postquam autem is requisitus fuit et non inventus est, ut supra dixi [2], eius loco in Persas regnavit Balash eius frater. Is erat vir humilis et amicus pacis, et in thesauro Persarum nihil invenit, * et regio eius erat devastata per depraedationem * p. 248
Hunnorum. Non enim tuam sapientiam fugit quanta damna et quantae expensae in bello incumbant regibus, etiam si victoriam reportant, et multo magis quando devincuntur. Et ex parte Romanorum nullum auxilium fuit ei sicut fratri suo. Misit enim legatos ad Zenonem ut ad se mitteret aurum; sed quia erat in sollicitudine belli adversus factionem Illi et Leontii, et quia insuper recordabatur aurum missum ab istis initio eorum rebellionis remansisse apud Persas, noluit ei mittere quidquam, sed mandavit ei : Tibi sufficiunt tributa Nisibis quae sumis, quae iam a multis annis Romanis competunt. — Balash autem quia non habebat aurum ad nutriendos exercitus suos, contemptus est in oculis eorum. Magi autem etiam oderant eum, quia abolevit leges eorum et volebat balnea ad ablutionem in urbibus aedificare; et cum viderent eum non aestimatum in oculis copiarum eius, apprehenderunt eum et occaecaverunt eius oculos, et eius loco constituerunt filium Pherozis, fratris

[1] Nomen loci evanidum. — [2] Cf. p. 180.

eius, Cavadem, cuius nomen supra memoravimus [1], qui obses fuit apud Hunnos; et ipse est qui bellum cum Romanis suscitavit, quia aurum ei non datum fuit. Misit ergo legatum et magnum elephantem in honorem imperatoris ut is remittat ei aurum, sed cum Antiochiam Syriae pervenerit legatus, Zeno mortuus est, et regnavit post eum Anastasius.

Cum autem legatus Persarum de mutatione facta in imperio Romanorum monuisset dominum suum Cavadem, is ei mandavit ut diligenter adscendat et repetat aurum consuetum, aut dicat imperatori : Accipe bellum. Et cum deceret eum verba
* p. 249 pacis et salutationis proferre, et cum eo gaudere in initio * principatus qui ei recenter a Deo datus est, verbis minacibus exacerbavit mentem imperatoris fidelis Anastasii. Is autem quando audivit verba arrogantia, et rescivit mores eius perversos et eum renovavisse haeresim immundam magismi, quae appellatur Zoroastrismus [2], quae docet uxores esse communes et cuique licere uniri cui voluerit, et eum saevisse in Armenios sui imperii eo quod non adorabant ignem, contempsit illum et non misit ei aurum, sed mandavit ei : Sicut non misit Zeno, qui ante me regnavit, nec ego mittam priusquam restitueris mihi Nisibim; non enim modica sunt praelia quae habeo cum barbaris qui vocantur Germanici, et cum eis qui vocantur Blemyes [3], et cum multis aliis; nec negligam exercitus Romanorum ut nutriam tuos.

Cum autem Armeni qui erant subiecti Cavadi audiverunt eum non pacificam responsionem a Romanis accepisse, animum sumpserunt et roborati sunt : everterunt templa ignis quae in eorum regione a Persis aedificata fuerant et necaverunt magos qui erant apud eos. Cavades autem misit in eos marzbanum cum exercitu, qui eos castigaret et ad adorationem ignis eos reduceret. Sed pugnaverunt cum ipso et eum eiusque exercitum destruxerunt; et miserunt legatos ad imperatorem ut ei subicerentur, sed noluit eos recipere, ne videretur bellum cum Persis provocare. Qui igitur eum vituperant quod non dedit aurum, vituperent potius eum qui quod suum non erat violen-

[1] Cf p. 180. — [2] Locus pertubatus ; ms. : Z ạ r ạ d u š t a q a n a, — [3] Gr. : Βλέμυες.

ter petebat; si enim postulavisset pacifice et fiducialiter, ei missum fuisset; sed induravit cor suum ad instar Pharaonis, et bellum minitatus est. Confidimus autem in iustitia Dei quae * * p. 250 etiam poenas severiores in eum adductura est, propter leges eius impias, quibus voluit legem naturae pervertere et viam timoris Dei destruere.

Rursum, omnes Cadusii[1] eius dicionis in eum rebellarunt, et conabantur ingredi Nisibim et in ea instituere regem ex ipsis; et tempore non parvo eam obsederunt. Etiam Tamyreni qui habitabant in terra Persarum, cum viderent nihil sibi dari ab eo, in eum rebellaverunt; confidebant isti in altis montibus quos habitabant, et descendebant, praedabantur et diripiebant vicos circumvicinos et mercatores et peregrinos et loci incolas, et reascendebant. Etiam nobiles eius imperii eum odio habebant, quia uxoribus eorum suadebat ut se prostituerent. Etiam Arabes sub potestate eius constituti cum viderent confusionem regni eius depraedati sunt quantum potuerunt in tota terra Persarum.

Surrexit autem hoc tempore alia perturbatio inter Romanos. Isauri enim post mortem Zenonis in imperatorem Anastasium rebellarunt, et volebant instituere regem quem gratum habebant. Cum autem id audivisset Cavades putavit tempus opportunum invenisse, et legatos in Romaniam misit, existimans quod timerent et ei aurum mitterent, eo quod rebellaverant in eos Isauri. Etiam imperator Anastasius mandavit ei : Si petis tanquam mutuum, mittam tibi, si autem tanquam vi consuetudinis, non negligam exercitus Romanorum qui incumbunt bello adversus Isauros ut fiam auxiliator Persarum. His itaque humiliata est mens Cavadis, eo quod consilium eius non obtinuit finem. Devicti sunt Isauri, destructi et occisi sunt et omnes civitates eorum eradicatae et igne consumptae sunt. Magnates autem * Persarum in secreto cogitaverant occidere * p. 251 Cavadem, propter opera eius immunda et leges eius perversas, et cum id notum fuit ei, dereliquit regnum suum et aufugit apud Hunnos, penes regem apud quem creverat dum obses erat[2].

1 Gr. : Καδούσιοι, Καδισηνοί. — 2 Cf. p. 180.

Regnavit pro eo in Persas Zamaspes[2] frater eius. Cavades autem sumpsit sibi apud Hunnos uxorem, quae erat filia suae sororis. Haec soror eius captiva facta est ibi in bello quo occisus est pater eius; et quia erat filia regis, inter uxores regis Hunnorum assumpta est, et ab eo habuit filiam; et cum Cavades ibi aufugisset eam huic dedit uxorem. Is autem confidentiam sumens ex eo quod sit gener regis, continuo coram eo lamentabatur, petens ut det ei auxilium exercitus ut eat occidere magnates et se restituere in suo regno. A socero eius datus est ei exercitus non parvus prout petebat. Cum autem ingressurus erat terram Persarum, hoc audito, frater eius recessit coram eo, et ipse perfecit consilium suum et occidit magnates. Mandavit etiam Tamyrenis et minitatus est eis, quod, si non sponte sua se ei submitterent, bello essent vincendi; si autem fierent socii exercitus eius, ingressuri essent cum eo in terram Romanorum et ex praeda ibi facta partiretur cum eis quidquid expilavissent. Hi quidem timuerunt exercitum Hunnorum et ei adhaeserunt. Cadusii autem qui Nisibim obsidebant, his auditis, etiam ipsi se submiserunt. Arabes autem cum didicerunt eum pugnam facturum esse cum Romanis summa alacritate se iunxerunt ei. Armeni autem, quia timebant
* p. 252 ne vindictam sumeret * ab eis, eo quod templa ignis olim evertissent, noluerunt eum audire; ipse autem congregavit exercitum et pugnavit cum eis, et cum in eos praevaluisset non destruxit eos, sed eis promisit se non coacturum eos ad adorandum ignem si fierent ei auxiliatores in bello cum Romanis. Illi vero, licet inviti, ex timore consenserunt. — Quae autem fecerit Cavades ex quo fines Romanorum ingressus est, suo tempore tibi expositurus sum; nunc quidem, quia mandasti mihi ut scriberem de signis et castigationibus quae hoc tempore acciderunt, et de locusta et de pestilentia et penuria[3], cum haec tempore praecesserunt, ad haec convertam sermonem meum; et ne confusa sit narratio, noto annos singulos separatim, et ad quemque eorum seorsim scribo quid acciderit in eo. Deus sit mihi auxiliator adiutorio orationum tuae electae Paternitatis.

1 Gr. Ζαμάσπης et Ζαμάσφης. — 2 In textu leg. ܦܘܪܝܐ

Annus 806us Alexandri. — De causa itaque belli et quomodo provocatum est, te o Pater noster, sufficienter, ut puto, edocui, etsi breviter has narrationes scripsi, quia prolixitatem sermonis vitavi. Ex eis alias in libris antiquis inveni, alias didici ex occursu hominum qui legationibus ad utrumque regem functi erant, et alias ex iis qui eventibus istis interfuerunt. Nunc autem ea quae apud nos acciderunt te * edocere * p. 253 volo, quia ab hoc anno sumpserunt initium castigationes graves et portenta quae fuerunt nostris diebus.

Hoc tempore totam regionem nostram involvebat sanitas : dolores tamen et morbi animarum nostrarum multi erant. Deus autem qui vult ut peccatores convertantur a peccatis suis et vivant, fecit corpus nostrum quasi speculum, et ulceribus replevit totum corpus nostrum, ut per externum nostrum ostendamus cui simile sit internum nostrum, et per maculas corporis nostri discamus quam odiosae sint maculae animae nostrae; et quia omnes homines peccaverunt, omnes hac plaga percussi sunt. Pustulae et tumores erant in omnibus concivibus nostris; intumuerant et pure replebantur facies plurimorum qui facti erant visu horribiles[1]. Alii erant quorum totum corpus ulceribus aut pustulis replebatur usque ad palmas manuum eorum et plantas pedum eorum; alii erant qui in singulis eorum membris scissuras habebant. Gratia autem Dei in eos expansa, dolor non permanebat longum tempus apud aliquem, nec macula nec ulcus remanebat in corpore; sed etiam si maculae plagarum dignoscebantur post sanationem, membra ita servata remanebant ut implere possent officium ministerii sui in corpore. — Hoc tempore, Edessae denario venumdabantur triginta modii frumenti, hordei autem quinquaginta.

Annus 807us. — Die XVII mensis ī y ā r (maii) huius anni, dum bona caeli in omnes homines abundanter mittebantur, et fruges * in benedictione multiplicabantur, et pluvia descende- * p. 254 bat, et fructus terrae suo tempore crescebant, plerique cives spem salutis praecidebant impietatem aperte committendo; se enim in voluptatibus oblectabant, nec gratiarum actio, propter

1 Litt. : visio terroris.

dona eius, Deo ab eis referebatur, sed in negligentia huius [debiti] vivebant et morbis peccatorum corrumpebantur. Et cum non satis essent eis peccata secreta et publica in quibus versabantur, interfuerunt vespera praedictae diei, quae erat dies Veneris, festo in quo saltabat saltator nomine Trimerios[1] et candelas innumeras in honorem huius festi accenderunt, cum talis mos antea in hac civitate non exstitisset. Inde a porta Theatri usque ad portam Tumulorum[2] disposuerunt candelas accensas super terram iuxta flumen; posuerunt eas ad litus eius, et suspendebantur in porticis, in antiphoro, in foro superiore et in multis locis. Ob autem hanc impietatem signum miraculosum a Deo factum est quasi ad redargutionem eorum : crux enim quam tenebat manus statuae beati Constantini imperatoris recessit a manu huius statuae circiter cubitum, et ita mansit die Veneris et sabbati usque ad vesperam. Die autem dominica rediit signum sponte sua
* p. 255 et accessit ad suum locum, * et apprehendit illud statua manu sua quemadmodum illud tenebat antea. Per hoc miraculum intellexerunt sapientes id quod gestum est alienum fuisse a voluntate Dei.

Annus 808us. — Non quidem satis fuit nobis hoc miraculum supernum ut per illud ab impietate cohiberemur; sed audaciores facti sumus et ad peccata facilius accessimus; et plebei proximos suos calumniabantur, et maiores iniquitate repleti erant, et invidia astutiaque in nos omnes dominabantur; et adulterium ac fornicatio multiplicata sunt. Morbus autem pustularum aggravatus est in homines, et oculi multorum corrupti sunt in civitate et in pagis. Zelum quidem mirabilem ostendit Mar Cyrus episcopus, et cives hortatus est ut facerent lecticam argenteam in honorem sacrorum vasorum : ut in ea ponerentur durante processione in commemoratione alicuius martyris; et quisque dedit quod poterat. Eutychianus autem maritus Aureliae[3], primus ostendit bonam voluntatem et ex suis dedit centum denarios.

1 Locus perturbatus. Vide notam ad textum. — 2 Vel minus probabiliter Fornicum, ut mavult Wright (*Catalogue...*, p. 335, col. 1, i). — 3 Vox evanida; Assemani vertit *Irene*; quod sane non congruit.

Anastasius autem praefectus [1] dimissus est, et in eius locum venit Alexander sub finem huius anni; et purgavit plateas civitatis stercore, et evertit tabernas ab opificibus aedificatas in porticibus et plateis; et ante praetorium suum posuit thecam cuius in operculo foramen perforavit, et supra eam inscripsit : Qui vult aliquid notum facere nec facile palam potest, scribat et sine timore intra hanc thecam immittat. Et hac ratione res multas didicit quas multi scribebant * et in * p. 256 thecam iaciebant. Et constanter singulis diebus Veneris sedebat in martyrio Mar Iohannis Baptistae et Mar Addaei apostoli, et causas gratuito componebat; et praevaluerunt defraudati adversus suos defraudatores, et spoliati adversus suos spoliatores : proponebant ei causas suas et ille eas iudicabat. Causae antiquae plus quam quinquaginta annis et nunquam examinatae propositae sunt coram eo et resolutae. Aedificavit autem deambulatorium [2] quod est prope portam Tumulorum. — Rursum, coeperat aedificare δημόσιον [3], quod exstruere prope horreum frumenti ante annos cogitaverant. Et praescripsit ut artifices in officinis suis in vigiliis diei dominicae cruces cum quinque lampadibus [4] accensis suspenderent.

Annus 809us. — Dum haec gerebantur rediit tempus illius festi in quo decantantur fabulae paganismi, et cives maiorem fecerunt suam diligentiam erga illud; per septem dies ante festum adscendebant turmatim ex theatro tempore vespertino, tunicis induti, cidaribus [5] obtecti, lumbis discinctis : lampades [6] ante eos accensae erant, et suffiebant aromata et vigilabant tota nocte, circumeuntes per civitatem et plaudentes saltatori usque mane, in cantu, in clamore ac in libidine [7]. Et ob has causas neglexerunt etiam ire ad orationem et nemo considerabat quod congruum est, sed in superbia deridebant modestiam patrum suorum « qui nesciverant haec agere sicut nos »; et dicebant : Stupidi et idiotae [8] erant * incolae civi- * p. 257 tatis anteactis temporibus. Et ita versabantur in impietate

[1] ἡγεμών. — [2] περίπατον. — [3] Sensum strictum definiri nequit: aerarium, carcer, probabilius balneum. — [4] φανοί. — [5] φακιόλια. (gall. *turbans*). — [6] κανδῆλαι. — [7] στρῆνος. — [8] ἰδιῶται.

et nemo erat qui (eos) increparet, aut redargueret, aut admoneret. Et licet Edessae adesset Xenaias, episcopus Mabbug, qui magis quam alii videtur sibi assumpsisse munus doctoris, hac de re non collocutus est cum eis nisi uno die; sed Deus, in misericordia sua, aperte eis manifestavit sollicitudinem suam erga illos, ut averterentur ab impietate eorum. Basilicae enim duae et tepidarium [1] balnei aestivalis ruerunt, et per bonitatem Dei nemo ibi laesus est, quamvis multi homines essent in eo, qui laborabant intus et exterius; nullus eorum mortuus est praeter duos viros qui oppressi sunt dum fugiebant, audito ruinae fragore, in porta Aquarum [2]. Cum suspensi erant in ea ex utroque latere hinc inde in rotationem eius, morati sunt disputantes quis eorum prior exiret, et lapides super eos ceciderunt et mortui sunt. Gratias Deo agebant omnes sapientes quod praeservavisset urbem a magno luctu. Erat enim paratum id balneum ut proximis diebus aperiretur. Ita autem ruit ut lapides eius inferiores, qui super faciem terrae exstructi erant, e loco suo exstirpati fuerint.

Hoc anno prodiit edictum imperatoris Anastasii quo remittebatur aurum quod solvebant artifices singulo quadriennio et quo eximebantur a tributo. Non Edessae tantum prodiit
* p. 258 hoc edictum, sed in omnibus civitatibus imperii * Romanorum. Dabant autem Edesseni singulo quadrienno auri litras CXL. Et laetata est tota civitas; albas vestes induerunt omnes a magno ad minimum, et deferebant candelas [3] accensas et thuribula fumantia; et haec deferentes processerunt in psalmis et canticis, gratias Deo agentes et laudantes imperatorem, usque ad martyrium Mar Sergii et Mar Simeonis, et ibi obtulerunt oblationem, et redierunt in urbem, et fecerunt festum in gaudio et laetitia per totam hebdomadem, et statuerunt se facturos esse hoc festum singulis annis; et recumbebant et laetabantur omnes artifices, et... [4] accumbentes in atrio ecclesiae et in cunctis porticibus urbis.

1 Leg. ܒܝܬ ܬܦܣܘܪܬܐ « latrinae », coniciunt Wright et Nestle; parum probabiliter. — 2 Porta non civitatis sed aedificii. — 3 χηρίωνες. — 4 Vox deleta. Restituit Martin vocabulum quod significat « se lavant »; parum probabile.

Eodem anno, mense ḥazīrān (iunio), die quinta, decessit ex hoc mundo episcopus Mar Cyrus; et eius loco fuit Petrus. Is addidit festivitatibus anni festum Palmarum; et instituit usum benedicendi aquam in nocte ante festum Epiphaniae, et oleum unctionis feria quinta hebdomadae sanctae [sacrandi][1] coram omni populo; et caetera festa (ordinavit). — Destitutus est praefectus Alexander et eius loco fuit Demosthenes. Huius iussu omnes civitatis nostrae porticus dealbatae fuerunt; qui autem rerum experientiam habebant hoc negotio multum vexati sunt; dicebant enim signum esse ⌜malorum mox venturorum[2].

* Annus 810us. — Demonstratio quidem iustitiae Dei appa- * p. 259
ruit in nobis hoc tempore, ut finis imponeretur operibus nostris perversis. — Mense īyār (maio) huius anni, recurrente die quo agebatur festum illud pravum paganismi, ab austro in regionem nostram exivit locusta plurima, at nihil hoc anno apud nos laesit aut comedit, sed tantum ova deposuit in regione nostra non pauca; et post depositionem seminis eius in terra terrae motus terribiles evenerunt, et id evidenter ut averteretur humanitas ab abysso peccati, ne fame et peste castigaretur. — Mense autem āb (augusto) huius anni prodiit edictum imperatoris Anastasii ut cessaret κυνήγιον[3] in civitatibus imperii romani. — Mense autem ēlūl (septembri) fuit terrae motus vehemens et vox magna e caelo in terra audita est, ita ut terra in suis fundamentis commota sit hac voce, et omnes pagi et civitates in voce et terrae motu tremuerunt. Rumores trepidi et nuntia minime grata ex omni parte nobis venerunt. Prout dicunt nonnulli, signum mirabile visum est in flumine Euphrate, et in thermis Abarne[4], quia fluxus fontium earum hac die defecit; et hoc mihi videtur non esse falsum, nam quotiescumque terra rumpitur motibus, accidit etiam ut aquae quae fluebant in locis disruptis deficiant a cursu suo, et quandoque etiam in alterum latus declinent; sicut etiam beatus David in psalmo XVIII de castigationibus

1 Vox periit. — 2 Locus corruptus; ad sensum interpretatus. — 3 I. e. ludus circensis cum bestiis. — 4 Prope locum vulgo *Charmuk* dictum, ad septemtrionem Sibaberaci (*Suverek*).

* p. 260 *quae a Deo immissae sunt in suos inimicos per terrae motum et disruptionem montium et alia similia etiam hoc accidisse confitetur; dicit enim [1] : Apparuerunt fontes aquarum, et revelata sunt fundamenta orbis ab increpatione tua, Domine. — Advenit etiam hoc mense epistula, quae lecta est coram tota congregatione ecclesiae : Urbs Nicopolis [2] subito ruit, tempore mediae noctis, et operuit intra se omnes incolas eius; etiam peregrinos qui ibi erant. Ex fratribus scholarum nostrarum ibi iter agentibus qui in ea adfuerunt ibi obruti sunt, et socii eorum qui redierunt nobis narraverunt. Totus enim murus civitatem circumdans et quidquid erat intra eum hac nocte eversa sunt, et nemo ex eis vivus remansit praeter episcopum civitatis et duo alii homines qui dormiebant post concham [3] altaris ecclesiae; quando ruit tectum camerae in qua dormiebant una extremitas lignorum eius applicata est parieti ipsius altaris et non obruit eos. Et ita narravit mihi quidam frater amicus veritatis : Tempore serotino noctis in qua ruit (Nicopolis), in ea recumbebamus ego et quidam socius meus; is in angustiis fuit et mihi dixit : Surge, eamus pernoctare extra urbem, in nostra consueta spelunca, nam non possum hic pernoctare, quia aer mihi asper est et somnus mihi non venit. Et surreximus, ego et ille, et exivimus extra urbem et noctem transegimus in spelunca secundum consuetudinem nostram; et cum propinquum esset tempus aurorae, evigilavi fratrem qui erat mecum, et ei dixi : Surge, nam aurora est, et redeamus in urbem ut negotio nostro vacemus. Et surreximus, ego
* p. 261 et ille; et venimus in urbem et invenimus eam * cum omnibus aedificiis eius subversis, et obruti erant ibi homines, et pecora, et boves et cameli, et clamor gemitus eorum e medio terrae adscendebat. Qui autem ibi convenerunt, eruerunt episcopum e strue lignorum ecclesiae quibus protectus fuerat; et quaerebat vinum et panem quibus celebraret mysteria. Cum tota civitas eversa esset et nihil in ea staret, accidit ut fortuito transiret vir bonus qui dedit ei frustum panis et paulum vini et obtulit sacrificium et oravit, et eos qui ibi aderant mysterio vitae participare fecit. Et similis erat hoc momento, ut mihi

1 Ps. XVIII, 7. — 2 Emmaus Plaestinae. — 3 κόγχη.

videtur, iusto Loth cum e Sodoma salvus evasit[1]. — Et haec hucusque sufficiunt.

Rursum autem, in septemtrione erat martyrium vocatum Arsamosatae[2], quod firmiter exstructum et pulchre decoratum erat; et noto die quo agebatur commemoratio sanctorum in eo depositorum, singulis annis, ibi multi conveniebant ex omnibus partibus, alii pro oratione, alii pro negotio; multae enim erant res necessariae turmae hominum qui in hunc coetum conveniebant. Cum autem in ea esset ingens populus virorum, mulierum, infantium, omnis aetatis et omnis classis, fuerunt fulgura terribilia, et crepitus vehementes, et clamores formidandi, et aufugit tota multitudo in hoc martyrium ut * protegerentur ossibus Beatorum, et dum in magno timore erant, et in oratione et officio stabant media nocte ruit martyrium, et multitudo hominum qui in eo erant sub ipso oppressa est. Hoc autem accidit ipso die quo Nicopolis ruebat. * p. 262

Annus 811us. — Omnibus itaque istis commotionibus et calamitatibus nemo nostrum a suis malitiis retentus est, et sine excusatione mansit regio nostra et civitas nostra, eo quod ultimi reservati fuimus ad castigationem, et quia non terruerunt nos rumores remotorum plaga insanabili percussi fuimus. Confiteamur igitur iustitiam Dei et dicamus[3] : Iustus est Dominus, et recta sunt eius iudicia; quia ecce in sua longanimitate vult per signa et prodigia nos avertere a malitiis nostris. — Mense tešrīn priore (oct.) huius anni, die XXIII, sabbato, ad ortum solis lumen eius defecit, et sphaera luminis eius argento similis erat, et radios visibiles non habebat, et oculi nostri eum intuebantur facile et sine obstaculo; non enim habebat splendorem aut fulgorem aut radios qui nos impedirent quin illum intueremur, sed sicut facile nobis est intueri lunam, ita etiam illum intuebamur. Ita mansit usque ad horam octavam circiter. Regio autem in qua oriebatur parvum crepusculum quod fiebat, apparebat quasi cinere aut sulphure adspersa fuisset.

[1] Cf. *Gen.*, XIX. — [2] Gr. Ἀρσαμόσοτα ; arab. *Šumšaṭ*, ad orientem Kharputi. — [3] *Ps.* CXVIII (Peš. CXIX), 137.

Eodem die aliud signum terroris et tremoris fuit in muro * p. 263 civitatis; et quae propter fidem regis sui * et rectitudinem incolarum suorum, in temporibus anterioribus digna fuerat benedictionem accipere a Domino nostro, prope erat ut obrueret incolas suos praesentis temporis ob multiplicitatem eorum peccatorum. Ruptura enim accidit in muro ad austrum portae Magnae [1], et lapides huius loci in longinquum non modicum dispersi sunt. Iussi autem patris nostri Mar Petri episcopi, rogationes factae sunt, et omnes misericordiam a Deo implorabant. Conduxit enim omnem clerum suum, et omnem coetum religiosum virorum et mulierum, et omnes filios Ecclesiae sanctae, divites cum pauperibus, viros cum mulieribus et pueris; et, dum deferunt cruces, in omnibus vicis civitatis concursabant in psalmis et canticis, in vestimentis nigris humiliationis; etiam omnia monasteria nostrae regionis in magna sollicitudine ministerii stabant, et per orationes omnium sanctorum, lux solis in suum locum restituta est, et parvum solamen fuit nobis.

Mense autem t e š r ī posteriore (nov.), tempore meridiei, signa tria in caelo vidimus : Unum ex illis medio caelo in regione australi, quod simile erat colore suo arcui qui fit in nubibus sed cuius apertura respicit superius, incurvatio autem inferius et extremitates superius; alterum ad orientem ultimum ad occidentem.

Rursum, in k ā n ū n posteriore (ianuario) vidimus aliud signum ad occidentem versus austrum ; quod adspectu suo lanceae simile erat : alii dicebant istud esse scopas perditionis, alii dicebant esse lanceam belli.

* p. 264 Hucusque rumoribus et signis castigati fuimus; hinc * autem et deinceps quis posset dicere afflictionem quae involvit nostram regionem ex omni parte?

Mense ā d ā r (martio) huius anni, in nos e terra exivit locusta, ita ut, ob eius multitudinem, putaremus, non solum ova deposita in terra in nos procedere, sed aerem eam in nos evomere, et quasi e caelo in nos descendere. Cum autem cre-

1 Ad viam quae versus Ḥarran ducit.

vit locusta, comedit et consumpsit totam 'Arabam[1] et regiones Rhešainensium, et Telensium et Edessenorum, et quando volatilis facta est extensio axis eius fuit a confinibus Assyriae ad mare occidentale, in septemtrione autem ivit usque ad confinia regionis Urtaeorum[2] et comedit et vastavit haec loca et consumpsit quidquid erat in eis, ita ut, etiam antequam oriretur bellum, videremus oculis nostris id quod de Babylonio dicitur[3] : Quasi paradisus Eden terra ante eum, et post eum deserta solitudo. Et si nutus Domini non retinuisset eam homines et iumenta comedisset, ut audivimus fecisse in quodam pago; puerum parvulum deposuerunt parentes in agro dum laborant, et dum eunt ab extremitate agri ad extremitatem aliam, adorta est eum et eum vita privavit. Et mox, mense nīsān (aprili), coepit esse penuria frumenti et omnium rerum, et venumdabantur quattuor modii tritici pro denario. Mense ḥazīrān (iunio) et tammūz (iulio) incolae harum regionum excogitabant media ad vivendum ; seminaverunt milium in suum usum, sed non suffecit eis, eo quod non prosperavit, et, anno nondum absoluto, miseria homines mendicare cogebat ob famem; et vendiderunt * possessiones suas dimidio pretio : iumenta et boves et oves et porcos, quia comedit locusta cunctam segetem nec reliquit pascuum aut alimentum neque hominibus neque animalibus. Multi loca sua deseruerunt et in loca alia septemtrionis et occidentis migraverunt. Qui in pagis debiles erant, senes et pueri, mulieres et parvuli et qui fame torquebantur et non poterant abire et ire in loca remota, ingrediebantur in urbes ut mendicarent et viverent. Pagi et viculi multi hominibus orbati sunt. Non tamen castigationem evaserunt vel ii qui in loca remota abierunt, sed sicut scriptum est de populo israelitico[4] : Quocumque exituri sint manus Domini erit in eos in malum. Sic etiam eis accidit. Irruit in eos pestis in locis in quae abierunt; etiam illos qui Edessam ingressi sunt rursum attigit pestis, quae

* p. 265

[1] Tractus Mesopotamiae ab Arabibus habitatus. — [2] In Armenia australi ; cf. Nöldeke, *Z. D. M. G.*, t. XXXIII, p. 163. — [3] IOEL, II, 3. — [4] *Iud.*, II, 15.

paulo post invaluit plus quam possum dicere; qualis autem fuerit puto neminem dicere posse.

Nunc autem de caritate, ut postulasti a me, tibi scribam. Noluissem quidem hac de re aliquid consignare, sed mihi vim facio, ne praeceptum tuum contemnere tibi videar. Hoc tempore venumdabantur quattuor modii tritici pro denario, et sex hordei ; κάβος cicerum pro D nummis [1] ; κάβος fabarum pro CCCC nummis ; κάβος lentium pro CCCLX nummis ; caro nondum pretio increverat, sed quo maturius properabat tempus
* p. 266 caritas augebatur, et angustia * famis opprimebat homines. Similiter erat de rebus quae non manducantur : de vestimentis, de vasibus, de supellectili domestico; quando res dimidio aut tertio pretio earum venumdabantur non sufficiebant ad nutriendos eorum possessores ob magnam caritatem panis.

Hoc tempore profectus est pater noster Mar Petrus apud imperatorem ut suaderet ei remittere tributum [2]. Iudex [3] autem apprehendit possessores vicorum, et coegit eos magna coactione, et ab eos (tributum) exegit. Dum episcopus rogat imperatorem, aurum a iudice in urbem imperialem missum est; et quando vidit imperator aurum quod sibi advenerat noluit remittere (tributum) ; ne tamen dimitteret patrem nostrum vacuum, remisit rusticis duos folles [4], et ⌜pretia quae dabant [5], et incolas urbis liberavit ab aqua romanis militibus afferenda. Iudex rursus adscendit ipse, gladio suo cinctus, apud imperatorem, et reliquit Eusebium ad servandum locum suum et ad gubernandam civitatem. Cum autem is Eusebius videret pistores non sufficere ad faciendum panem pro foro, ob multitudinem rusticorum quibus repleta erat civitas et ob pauperes qui non habebant panem in suis domibus, decrevit ut quicumque velit faciat panem et vendat in foro. Et venerunt mulieres iudaeae et dedit eis frumentum ex reconditorio (publico) [6], et faciebant panem pro foro; pauperes tamen adhuc opprimebantur, quia non habebant pretium ad emendum panem, et circuibant vicos, et porticus, et aulas, ad mendicandum frus-

[1] νοῦμμος. — [2] συντέλεια scl. capitationem. — [3] I. e. praefectus ; supra ἡγεμών. — [4] φόλλις. — [5] Sententia manifesto imperfecta. — [6] ἀπόθετον.

tulum * panis, sed nemo erat qui superfluum panem haberet in domo sua; et cum aliquis eorum mendicaverat obolos, quibus non poterat emere panem, eis emebat rapum, aut crambem [1], aut malvam [2] et ea avide vorabat. Et hac de causa fuit penuria olerum et imminutio omnium rerum in civitate et in pagis; adeo ut nonnulli ausi sint ingredi tabernacula sancta, et ob famem suam comedere consecratum tanquam panem simplicem; alii autem e corporibus mortuis quae non manducantur, fragmenta amputarunt et coxerunt atque comederunt. — Testis harum rerum sit Veritas tua. * p. 267

Annus 812us. — Hoc anno, post vindemiam venumdabatur vinum sex mensurae pro denario, et κάϐος uvarum ccç nummis. Fames aggravata est in pagis et in civitate. Qui remanserant in pagis vicias comedebant ; alii vinacea confrixebant et comedebant; sed vel ex istis habere satietatem non poterant. Qui in urbem (venerant) vagabantur per plateas et radices foliaque olerum stercore conspersa colligebant et comedebant; in porticibus et in plateis dormiebant, et nocte dieque ululabant ob angustiam famis, et tabuit corpus eorum et angustiabantur et erant similes cadaveribus [3] ob maciem corporum suorum. Et eis plena erat tota civitas; et coeperunt mori in porticibus et in plateis. Demosthenes autem praefectus cum adscendisset apud imperatorem monuit eum de hac calamitate, et dedit ei imperator aurum non modicum quod distribueret pauperibus; et cum inde reversus est * Edessam multos homines signavit sigillis plumbeis in collibus eorum, et dabat quotidie cuique istorum libram panis. Non tamen potuerunt vivere, quia torquebantur angustia famis quae eos emaciavit. Crevit mortalitas hoc tempore, mense t e š r ī posteriore (nov.) et rursus mense k ā n ū n priore (ian.), cum coeperunt fieri frigus et gelu, quia in porticibus et in plateis pernoctabant. In eorum somno somnus mortis attingebat eos. Balabant infantes et parvuli in omnibus plateis : horum matres mortuae erant, aliorum eos dereliquerunt et fugerunt ubi peterent cibum, quia non habebant quod darent eis. Proiecta erant in * p. 268

[1] κράμϐη. — [2] μολόχιον. — [3] Lectio cod. vitiosa ; conicit Wright ܝ̈ܪܘܪܐ *canes aurei*; Martin melius, ut videtur, ܫ̈ܪܘܪܐ

omnibus viis strata cadavera, et non sufficiebant cives sepelire ea, quia cum efferebant eos qui priores mortui sunt, statim ac reversi erant alios inveniebant. Sollicitudine autem Mar Nonni xenodochi postea fratres circumibant et colligebant cadavera, et tota civitas collecta erat ad ianuam xenodochii, et educebant ac sepeliebant ea a matutino ad matutinum. Etiam oeconomi ecclesiae, presbyter Mar Tewatael et Mar Stratonicus, qui post tempus dignus fuit gradu episcopatus in urbe Ḥarran, condiderunt valetudinarium in aedificio ecclesiae Edessae, et ingrediebantur qui torquebantur ac recumbebant illic ; et inveniebantur multa cadavera in valetudinario, et sepeliebant ea cum iis xenodochii; et praefectus obstruxit aperturas peristylii circa balneum[1] hibernale, et proiecit in ea paleam et
* p. 269 storeas, et dormiebant illic; et non sufficiebat * eis. Cum viderunt optimates urbis, etiam ipsi condiderunt valetudinaria, et multi ingrediebantur et in eis protegebantur; etiam Romani condiderunt loca et in eis dormiebant aegroti; et providebant expensis eorum. Moriebantur morte prompta et gemenda; et quamvis multi eorum quotidie sepelirentur, rursus valde multiplicabantur. Relatum enim est in regione urbis Edessenos habere curam indigentium, et hac de causa, innumera multitudo hominum urbem ingressa est. Rursus, balneum quod est infra templum Apostolorum ad Portam Magnam aegrotis plenum erat, et cadavera multa ex eo quotidie educebantur; assidua erat tota civitas comitari turmatim eos qui e xenodochio educebantur, in psalmis, hymnis et canticis et cantibus spe resurrectionis plenis; et mulieres rursus in planctu tristi et vocibus gemebundis (sequebantur). Initio eorum ibat pastor diligens Mar Petrus, et cum eis erat iudex et cuncti nobiles; et ubi sepulti erant illi quisque revertebatur et comitabatur mortuos propinquitatis suae. Quando plena fuerunt sepulchra xenodochii et ecclesiae praefectus exiit et aperire fecit sepulchra antiqua quae sunt apud templum Mar Coni, quae a praedecessoribus magno studio aedificata fuerunt. Et repleta sunt illa. Et alia aperuerunt, et non suffecerunt eis; et demum ubicumque fuerit sepulchrum antiquum aperiebant et illud

[1] δημόσιον.

implebant. Quotidie enim plusquam centum cadavera exibant e xenodochio, et saepe centum et viginti et usque ad centum triginta. Ab initio t e š r ī posterioris (nov.) usque ad finem. * ā d ā r (martii) nil erat audiendum, hoc tempore, in omni- * p. 270 bus viis urbis nisi lamentatio super defunctos, aut clamores gemitus anxiorum. Moriebantur etiam plurimi in aulis ecclesiae, et in aulis civitatis, et in diversoriis; etiam in viis moriebantur dum veniebant ut urbem ingrederentur.

Mense š e b ā ṭ (febr.) rursus aggravata est caritas et crevit pestilentia. Venumdabantur XIII κάβοι tritici pro denario, et hordei XVIII κάβοι ; libra carnis C nummis, et libra gallinae CCC nummis, et ovum XL nummis ; summatim erat penuria cuiuscumque rei quae comeditur.

Mense ā d ā r (martio) factae sunt rogationes ob pestilentiam, ut averteretur a peregrinis; et imitabantur cives, dum deprecabantur pro eis, beatum Davidem quando dicebat angelo qui vastavit populum suum [1] : Si ego peccavi et stulte egi, hi, oves innocentes, quid peccaverunt? Sit manus tua in me et in domum patris mei.

Mense autem n ī s ā n (aprili) coepit pestilentia in cives : et efferebantur feretra multa uno die, et nemo assecutus est numerum eorum. Non autem Edessae tantum fuit haec devastatio pestilentiae; sed ab Antiochia usque Nisibim ita vastabantur homines et torquebantur fame et pestilentia; mortui sunt multi ex divitibus, qui non famelici erant; etiam ex magnatibus civitatis multi mortui sunt hoc anno.

Mense ḥ a z ī r ā n (iunio) et t a m m ū z (iulio) post messem sperabamus quod tunc liberaremur a penuria, non autem obtinuimus spem nostram, sed usque quinque modios pro denario venumdabatur triticum novae segetis.

Annus 813us. — Post has calamitates locustae, famis et pestilentiae quae tibi descripsi, * respiratio quaedam fuit * p. 271 nobis per misericordiam Dei, ut futuras sufferre possemus, quemadmodum ipsis rebus edocti sumus. Fuit enim vindemia abundans, et vinum ex torculari venumdabatur XV mensurae pro denario ; et victum sibi comparaverunt pauperes ex

[1] II *Reg.*, XXIV, 17.

vineis per proventum uvarum passarum. Sic enim dicebant agricolae et rustici fuisse multo maiorem proventum uvarum passarum quam tritici. Flatus enim calidus factus est cum vitis maturescere coeperat, et maior pars eius exsiccata est. Et sic dicebatur a sapientibus per providentiam Dei omnipotentis hanc rem factam esse, et esse commixtionem misericordiae cum castigatione. Hoc factum est ut sustentarentur rustici per has uvas passas et ne fame deficerent sicut in anno praeterito; quia etiam hoc tempore quattuor modii tritici denario tantum venumdabantur, hordei sex; tale igitur signum misericordiae fuit in tempore mensium utriusque tešrī. Etiam hiems totius huius anni maxime pluviosa fuit, et semen quod seminatum erat adscendit hic illic plus quam statura hominis cum nondum advenerat nīsān (aprilis); etiam sulci terrae proferebant tantum fere quantum seminatum est. Ita etiam tecta domorum protulerunt herbam multam, quam nonnulli messuerunt et vendiderunt tanquam triticum repens [1], et quia spicam habebat et aequalis staturae erat, eius emptores non cognoverunt.

* p. 272 * Expectabamus autem etiam hoc anno et sperabamus fore mediocritatem pretii frumenti sicut annis praeteritis, sed haec cogitatio ad rem non pervenit. Mense enim īyār (maio) ortus est ventus urens tribus diebus et arefecit omne frumentum nostrae regionis, paucis locis exceptis.

Hoc autem mense, quando occurrit dies in quo agitur illud festum pravum historiarum Graecorum, de quo supra loquuti sumus [2], advenit edictum imperatoris Anastasii, ne rursus histriones [3] saltarent, ne in una quidem ex civitatibus possessionis sui imperii. Qui autem considerabit exitum rerum, non vituperabit nos eo quod diximus, ratione impietatis quam agebant cives in hoc festo, promotas fuisse et in nos advenisse calamitates famis et pestilentiae. Ecce enim nondum expletis triginta diebus postquam abrogatum est, triticum quod pro denario venumdabatur quatuor modii pro denario, venditum est duodecim modii pro denario et hordeum quod venumdabatur sex modii pro denario, venditum est viginti duo modii

[2] ἄγρωστις. — [2] Cf. p. 188-190, — [3] ὀρχησταί.

pro denario; et aperte manifestum fuit omnibus Dei voluntatem posse mediocri segeti benedicere, et dare cibum eis qui suorum peccatorum poenitentiam agunt; fere omni frumento exsiccato, ut dixi, ex paulo reliquo quod superfuit, tota haec alleviatio intra triginta dies accidit. Forsan autem adhuc quis dicet : Non bene ratiocinatus es; nam haec non fuit voluntaria poenitentia propter quam fuissent misericordiae; imperator enim festum istud vi abrogavit cum edixit ne omnino saltarent histriones. Nos autem dicimus: Deus, propter magnitudinem bonitatis suae, occasionem quaerebat ut misericordiam faceret, etiam eis qui non digni erant. Et habemus * demonstrationem (* p. 273) eo quod misertus est Achabi cum veritus est correptionem Eliae[1], et in diebus eius non adduxit mala quae antea statuta erant in domum eius. Minime tamen ita dico hoc peccatum solum in urbe nostra patratum fuisse; multa enim sunt peccata quae secreto et publice committebantur ; sed quia etiam rectores eis participabant, nolui haec peccata revelare ne darem occasionem vituperandi eos qui faciunt misericordiam, aut dicendi quod adversus principes loquor. Nec omnino rem celatam relinquere poteram, quia supra promisi tibi notum facere undenam bellum in nos excitatum sit. Et rursus ne dicam quidquam adversus arrogantes ponam verbum prophetae, ex quo intelliges quod ille, quando vidit filios populi sui patrare res similes eis quae hodie fiunt in civitate nostra, et praesertim apud vos, et in tota eius regione[2], ad eos dixit quasi ore Domini[3] : Vae! ei qui dicit patri : Quid generas? et mulieri : Qui concipis? — Reliqua silentio premere congruum est; nam decet audire verbum scripturae quod dicit[4]: Qui prudens est hoc tempore tacebit, quia tempus malum est. — Si autem dederit Dominus noster ut videamus te in sanitate, de his loquemur tecum, prout poterimus.

Nunc audi calamitates quae acciderunt hoc anno et signum quod visum est in die quo factae sunt; quia hoc etiam a manu nostra postulasti. — Die 22ª mensis ā b (augusti) huius anni, illucescente die Veneris, magnus ignis apparuit * nobis, ardens (* p. 274)

[1] Cf. I (III) *Reg.*, xxi, 29. — [2] χώρα — [3] Is., xlv, 10. — [4] Amos, v, 13.

in regione septemtrionali per totam noctem; et ita putabamus quod diluvio ignis delenda erat tota terra hac nocte. Misericordia autem Domini nostri servavit nos sine damno. Nobis autem missa est epistula a quibusdam viris qui migraverant Ierusalem, in qua dicebatur : In hac nocte qua apparuit magnus ille ignis exardescens eversa est urbs Ptolemais, quae est Akko[1], et nihil in ea mansit erectum. Rursum autem, post dies, advenerunt apud nos viri Tyrenses et Sidonienses qui nobis dixerunt quod eo ipso die quo apparuit ignis et eversa est Ptolemais, partes civitatum eorum ruerunt, id est pars Tyri et pars Sidonis. Etiam Beryti ruit synagoga Iudaeorum sola, eo die quo eversa est Akko. — Cives Nicomediae[2] traditi sunt Satanae ut castigarentur, et plerique eorum a daemonibus torquebantur donec, recordati verba Domini nostri, in ieiunio et oratione perseverarunt et sanitatem acceperunt. — Etiam Cavades, filius Pherozis, rex Persarum, eo die quo apparuit ignis iste, congregavit totas copias Persarum et venit adscendere in septemtrionem et ingressus est in dicionem Romanorum, cum exercitu Hunnorum quem secum habebat; et obsedit Theodosiopolim Armeniae[3], et paucis diebus eam expugnavit. Gubernator enim loci, cui nomen Constantinus, rebellavit in Romanos et tradidit eam, propter quamdam inimicitiam quam habebat erga imperatorem. Cavades proinde urbem spoliavit, et eam destruxit, et eam
* p. 275 igne cremavit ; * et omnes vicos regionis septemtrionalis vastavit; et superstites qui remanserunt in captivitatem abduxit. Constantinum fecit sibi ducem exercitus; Theodosiopoli reliquit custodiam et inde profectus est.

Annus 814us. — Etiam regionem Mesopotamiae quam habitamus magnae calamitates presserunt hoc anno; ita ut eis quae in Ierusalem minatus est Christus Dominus noster in praedicatione sua, et realiter adimpleta sunt, et rursus eis quae de fine mundi locutus est, comparabilia sint ea quae nobis acciderunt hoc tempore. Postquam enim terrae motus hic illic fuerunt, ut tibi scripsi, et postquam fuerunt fames et pestilentia et fuerunt terrores et tremores, et signa prodigiosa in

[1] Gallice : *Acre*. — [2] Urbs Bithyniae. — [3] Erzerum.

caelo visa sunt, surrexit gens in gentem et regnum in regnum, et cecidimus ore gladii, et captivi abducti sumus in omnem locum et calcata est regio nostra a populis alienis, ita ut nisi attenderemus domino nostro qui dixit[1]: Quando audietis proelia et perturbationes ne timeatis: haec enim primum fieri oportet, sed nondum advenit finis, auderemus dicere finem mundi advenisse, quia etiam plures ita cogitaverunt et dixerunt. Nos autem recogitabamus non in toto mundo fieri bellum hoc, et praeterea recordati sumus verba beati Pauli quibus monebat Thessalonicenses de adventu Domini nostri, dicendo[2] ne terrerentur neque per sermonem, neque per spiritum, neque per epistulam deceptricem, quasi ex * parte eius, nuntiantem : * p. 276
Ecce instat dies Domini nostri; et ostendit non posse fieri finem priusquam manifestaretur falsus messias. Ex his itaque verbis Domini nostri et eius Apostoli intelleximus non quia hoc tempus esset ultimum haec nobis accidisse, sed in castigationem facta esse, quia invaluerunt peccata nostra.

Venit enim Cavades, rex Persarum, e septemtrione die 5ª mensis t e š r ī prioris (oct.), die sabbato, et obsedit Amidam, civitatem quae est apud nos in Mesopotamia, ipse et totus exercitus eius. Cum autem audivit Anastasius, imperator Romanorum, Cavadem congregavisse exercitus suos, noluit aggredi eum bello, ne effunderetur sanguis ambarum partium; sed misit ei aurum, per Rufinum, et statuit quod si esset Cavades in limite et nondum transisset in dicionem Romanorum, daret ei aurum et dimitteret eum. Cum autem pervenisset Rufinus ad Caesaream Cappadociae, audivit Cavadem vastavisse Aghēl[3] et Ṣoph[4], et Armeniam et ᶜArabam; reliquit aurum Caesareae et adiit eum. Dixit ei ut discederet e limite et sumeret aurum. Is autem noluit; sed apprehendit Rufinum et iussit ut custodiretur. Et decertavit contra Amidam cum toto exercitu suo, per omnia artificia belli, die et nocte. Et erexit adversus civitatem mulam[5]; et aedificarunt atque auxerunt muri altitudinem Amidenses. Et cum erecta fuit mula, caput arietis admoverunt Persae, et cum continuo feriebant murum constructio

1 Cf. Matth., xxiv, 6. — 2 Cf. II *Thess.*, ii, 2. — 3 Ἀγγιληνή; hodie ; *Egil.* — 4 Σωφονή. — 5 Procop. : λόφος (*Bell. pers.*, I, vii).

nova dissoluta est quia nondum fulta erat et cecidit. Amidenses
autem foramen forarunt in muro subter mulam, et secreto
* p. 277 intra urbem detulerunt glebam in ea congestam, et sustinebant *
opus tignis; et dissoluta est mula atque ruit. Cum non praevaleret Cavades contra vim civitatis, mandavit Naᶜamani, regi Saracenorum, ut cum toto exercitu suo abiret in regionem australem dicionis Ḥarranensium, et etiam pars exercitus Persarum in bello processit usque Constantinam civitatem, quae est Tela; et diripiebant, spoliabant, vastabant totam regionem.

Die 19° mensis t e š r ī posterioris (nov.), Olympius dux Telae, et Eugenius dux Melitinae, qui hoc tempore descenderat, et exercitus eorum exierunt et Persas quos invenerunt in pagis in circuitu Telae destruxerunt. Cum conversi sunt ad redeundum in civitatem aliquis monuit eos quingentos viros esse in valle, non valde remotos ab ipsis, et ipsi se disposuerunt ut procederent in illos, exercitus autem Romanorum qui erat cum eis dispersus erat ad spoliandos occisos. Et quia nox erat, iussit Olympius ut accenderetur ignis in cacumine collis et sonarent tubae, ut apud ipsos convenirent qui dispersi erant. Marzbani autem Persarum qui castrametati erant in pago Tell Beshmai, cum viderunt lumen ignis et audiverunt sonum tubarum, armaverunt totum exercitum suum et venerunt in eos. Et cum viderent equites Romanorum Persas numerosiores esse quam ipsi, conversi sunt (in fugam); pedites autem non potuerunt aufugere sed coacti sunt pugnare, et collecti sunt atque se disposuerunt ad proelium et fecerunt id quod vocatur χελώνη seu testudo; et dimicarunt longo tempore. Et quando in eos crevit exercitus Persarum et in eos etiam se adiunxerunt
* p. 278 Hunni et Saraceni, * et rupti sunt ordines eorum, et invicem
se perturbarunt, et commixti sunt inter equites ac ungulis equorum Saracenorum conculcati et compressi sunt, multi Romani destructi sunt, et reliqui captivi facti sunt.

Die 26ª huius mensis, venit Naᶜaman ab austro et ingressus est dicionem Ḥarranensium : et perdidit, et spoliavit, et captivos fecit populum, bestias et possessiones totius dicionis Ḥarranensium. Et venit etiam usque Edessam perdens, spolians, et captivos faciens omnes vicos. Numerus hominum quos abduxit in captivitatem est XVIIIMD, praeter illos qui occisi

sunt; et praeter bestias et possessiones et praedam cuiuscumque generis. Ratio ob quam tantus populus inveniretur in pagis fuit tempus messis; et non solum vicani exierant in messem, sed multi Ḥarranenses et Edesseni exierant et captivi facti sunt. Et propterea Edessa clausa est et custodita fuit, et fossae cavatae sunt, et murus instauratus est, et portae urbis obstructae sunt sectis lapidibus; et quia veterascerant, voluerunt renovare et reficere eas et facere repagula [1] cataractarum [2] fluminis, ne forte quis per eas intraret, sed non inventum est ferrum sufficiens ad opus, et edictum latum est ut omnis aula quae erat Edessae daret decem libras ferri, et cum id factum esset, opus perfectum fuit. — Eugenius autem, cum videret se non posse obviam ire omnibus Persis, duxit exercitum qui remansit ei, et profectus est adversus hanc custodiam quam habebant Theodosiopoli, et destruxit omnes qui in ea erant, et urbem resumpsit.

Cavades autem adhuc impugnabat Amidam, et conabatur et laborabat ut excitaret mulam quae ruerat. Et praescripsit Persis ut lapidibus * et lignis eam replerent, et afferrent lin- * p. 279
teamina pilosa, lanea et linea, et ea disponerent in modum alveorum et saccorum quos replerent gleba et aedificarent supra hanc mulam quam fecit, ut elevaretur celeriter contra murum. Tunc Amidenses exstruxerunt machinam quam appellarunt Persae « tritorem »; quia omnem laborem eorum impediebat et eos destruebat. Illa enim machina Amidenses proiciebant magnos lapides, quorum singuli plus quam trecentis libris graves erant, et sic disrumpebatur tegumentum gossypii sub quo se abscondebant Persae, et mactabantur qui sub ipso stabant; etiam caput arietis confringebatur per continuam iaculationem lapidum, qui sine intermissione proiciebantur. Amidenses enim non poterant Persis nocere nisi per magnos lapides, quia protegebantur gossypio pluries plicato super mulam, et super illud Persae effundebant aquam, et non laedebatur neque per sagittas ob suam crassitudinem neque per ignem ob suam humiditatem. Lapides autem magni qui tritore proiciebantur operculum et viros et machinas destruebant.

[1] μοχλός. — [2] καταρράκται.

Sic devicti sunt Persae, et destiterunt laborare hac mula, et consilium coeperunt redeundi in eorum regionem; quia tribus mensibus quibus obsiderunt hanc urbem quinque milia eorum destructa sunt in pugnis quae cotidie diu noctuque agebantur. Amidenses autem fidem habuerunt in victoria sua, et ceciderunt in negligentiam, et non custodiverunt murum sollicite sicut antea. Et die 10° mensis kanun
* p. 280 posterioris (ianuarii) vinum nimium biberunt * custodes muri, propter frigus, et cum fuit nox dormierunt et in somno profundo demersi sunt; et alii deseruerunt custodiam suam quia descendebat pluvia, et descenderunt in domos suas ut se protegerent. Sive itaque propter hanc relaxationem, ut nos opinamur, sive dolo traditionis, ut quidam dixerunt, sive per castigationem divinam, Persae potiti sunt muro Amidae per scalas, cum non apertae essent portae eius nec ruptus esset murus eius, et vastaverunt urbem, et rapuerunt possessiones eius, et calcaverunt eucharistiam, et contempserunt ministerium eius, et spoliaverunt ecclesias eius, et in captivitatem abduxerunt incolas eius praeter senes et laesos et eos qui se occultaverunt; et reliquerunt ibi praesidium trium milium virorum; et descenderunt omnes ad montem Sigarae. — Ne autem Persae qui remanserunt molestarentur odore cadaverum Amidensium, eduxerunt et coacervarunt ea in duos acervos extra portam septemtrionalem. Et fuit numerus eorum qui exierunt per hanc portam septemtrionalem plus quam LXXX milia, praeter eos qui vivi exierunt, quos lapidaverunt extra civitatem, et praeter eos quos lapidaverunt supra murum per machinam quam fecerunt, et praeter illos quos proiecerunt in Tigrim, et eos qui mortui sunt variis modis quorum mortes enarrare non valemus.

Tunc Cavades misit Rufinum ut iret narrare imperatori ea quae facta sunt; is autem ubique narrabat has destructiones et per illos rumores territae sunt civitates ad orientem Euphratis sitae et paratae sunt ad occidentem transire. Honorabilis
* p. 281 autem Iacobus[1] periodeutes, qui * homilias multas composuit in sectiones Scripturarum, et carmina ac hymnos fecit de

[1] Iacobus Sarugensis.

tempore locustarum, non neglexit etiam hoc tempore id quod eum decebat, sed scripsit epistulas hortatorias ad omnes civitates, eos confidere faciens in salvationem divinam, et eis animum addens ne aufugerent. Etiam imperator Anastasius quando audivit, exercitum misit numerosum Romanorum qui hiemarent in his civitatibus et eas custodirent. Cavadi autem non suffecerunt tanta praeda quam praedavit et captivi quos captivavit, nec satiatus fuit sanguine abundanti quem effudit, sed imperatori epistulam misit : Mitte mihi aurum aut accipe bellum. Hoc factum est mense nīsān (aprili). Imperator autem aurum non misit; sed se paravit ultionem quaerere et petere vindictam eorum qui perierunt, et mense iyar (maio) misit in eum tres duces exercitus : Areobindum et Patricium, et Hypatium, et praepositos multos cum eis. Et descendit Areobindus ac castra posuit ad limitem iuxta Darum et ᶜAmmudin, versus Nisibim civitatem; et erant cum eo XII milia virorum. Patricius et Hypatius castrametati sunt ad Amidam ad expellendam ex ea Persarum custodiam; et erant cum eis XL milia (virorum). Descendit autem etiam hoc tempore Appion hyparchus ac consedit Edessae, ut provideret cibo exercitus Romanorum qui cum eis erat; et quia non valebant pistores conficere panem iussit ut daretur triticum omnibus aulis quae erant Edessae, et facerent buccellatum[1] suis impensis. Et insumpserunt Edesseni, prima vice, DCXXX milia modiorum.

Cavades autem cum videret * paucorum esse turmam * p. 282 Areobindi misit adversus eos exercitum quem habebat apud se Sigarae, viginti milia Persarum ; sed Areobindus eos persecutus est semel et iterum usque dum profligati descenderent ad portam Nisibis, et multi ex fugitivis in porta suffocati sunt dum ad intrandum se compresserunt. Mense autem tammūz (iulio), cum Persis congregati sunt etiam Hunni et Saraceni, ut venirent in eum, cum Constantino duce eorum. Cum id didicisset ab exploratoribus, misit Cleopham ḥalebensem ad Patricium et Hypatium, dicens : Venite ad me et estote mihi adiutores; nam exercitus numerosus paratus est

[1] βουκέλλατον.

venire adversus nos. Illi autem non audiverunt, sed in suis locis remanserunt apud Amidam. Cum autem venissent Persae contra turmam Areobindi, is non potuit dimicare cum eis, sed dereliquit castra sua et aufugit Telam et Edessam, et totum opus eorum spoliatum et captum est. — Turma autem Patricii et Hypatii construxerant tres turres ligneas, quibus adscenderent murum Amidae. Quando autem absolutum est opus harum turrium, magnis expensis, et ferro cinctae fuerunt, ne quid eas laederet, tunc manifestatum est eis quid accidisset in confiniis, et ipsi incenderunt turres et inde profecti sunt, et processerunt adversus Persas, sed non eos assecuti sunt. Unus autem e ducibus, cui nomen Pharazmanes, et alter cui nomen Theodorus, astutia gregem miserunt qui ad Amidam transiret; et ipsi cum exercitibus suis in insidiis sederunt. Quando autem Persae ex Amida gregem viderunt, circiter quadringenti viri electi ex eis exierunt ut gregem raperent; et surrexerunt Romani qui in insidiis sedebant, et destruxe-
* p. 283 runt eos, et eorum ducem vivum apprehenderunt; * et is promisit tradere eis Amidam ; et propterea, reversi sunt illuc Patricius et Hypatius. Et quia non poterat dux ille implere promissionem, cum illi qui intra urbem erant ei non consensissent, stratelates iussit eum crucifigi.

Saraceni autem Persarum venerunt ad Ḥaburam[1] et Timostratus, dux[2] Callinici, exivit in eos et destruxit eos. Etiam Saraceni dicionis Romanorum[3], qui vocantur Thaʿlabitae, iverunt ad Ḥirtam Naʿamanis[4], et invenerunt comitatum qui illuc adscendebat, et camelarios qui ducebant eum ⸢descendere coegerunt (?), et ceciderunt in eos et eos destruxerunt, et camelos rapuerunt. Non autem adversus Ḥirtam steterunt, quia ingressus eius est ad desertum interius[5].

Rursus, mense ā b (aug.) congregatus est totus exercitus Persarum, Hunnorum, Cadusiorum[6], et Armeniorum, et venerunt usque Opadanum[7]. Hoc audito, turma Patricii surrexit ad proficiscendum in eos; et cum adhuc in itinere essent

[1] Χαβύρας ; alias Ἀβώρας. — [2] δούξ. — [3] Beth Romayē. — [4] Hodie *al-Ḥīrah*. — [5] Sic ms. Sententia obscura, et forsan corrupta. — [6] Καδούσιοι. — [7] Hodie : al-Fudain (?)

Romani et nondum ad proelium dispositi, Persae obviam habuerunt primos et eos ceciderunt; et cum retroversi sunt hi quos vulneraverunt, reliquus exercitus Romanorum viderunt primos caesos fuisse, terrore capti sunt, et non perstiterunt dimicare, sed Patricius reversus est primus et totus exercitus eius post eum. Transierunt flumen Euphraten et ad urbem Samosatam confugerunt. Naᶜaman autem, rex Saracenorum Persarum, etiam ipse in hoc proelio vulneratus est. Unus autem e ducibus Romanorum, cui nomen Petrus, fugit in castellum Ašpharin[1]; sed quando circumsederunt castellum Persae, hos timuerunt habitatores castelli et illum tradiderunt eis; et Persae abduxerunt eum vinctum et Romanos qui erant cum eo * occiderunt, habitatoribus autem castelli * p. 284
nihil nocuerunt.

Cavades autem, rex Persarum, meditabatur proficisci adversus Areobindum in Edessa; incitabat etiam eum Naᶜaman, rex Saracenorum, propter id quod accidit suo comitatui[2]. Quidam autem dux cohortis, ex Ḥirta Naᶜamanis qui erat christianus, respondit et dixit : Ne molestiam sumat Maiestas vestra aggrediendi Edessam bello; nam habet verbum indissolubile Christi, illius quem adorant, quod inimicus non praevalebit in eam in aeternum. — Naᶜaman cum haec audiret minatus est peiora quam ea quae Amidae facta sunt se facturum Edessae; et voces blaphematorias pronuntiavit. At etiam Christus signum manifestum in eo ostendit. Eo enim instante quo blasphemavit, plaga qua eius caput vulneratum erat intumuit, et totum cranium eius inflatum est; et surrexit abiitque in tabernaculum suum; et mansit in hac angustia duos dies et mortuus est. Audaciam autem Cavadis hoc signum minime amovit ab eius mala voluntate, sed instituit alium regem pro Naᶜamane, et surrexit ut procederet in bellum; et cum pervenisset ad Telam eam obsedit. Iudaei autem qui erant ibi consilium ceperunt tradendi ei civitatem. In turri oratorii eorum, quae eis commissa erat ut eam custodirent, excavationem fecerunt, et significarunt Persis ut effoderent cuniculum et per illud intrarent. Hoc autem compertum est

[1] τὸ Σέφριος χώριον, seu κάστρον Ἴσφριος ; *Siphris*. — [2] Cf. p. 208.

comiti Petro, qui erat in captivitate. Is autem suasit eis qui illum custodiebant ut eum deducerent ad murum, dicens se habere vestimenta et utensilia talia et talia deposita in civitate et velle rogare Telenses ut ea sibi traderent. Et assenserunt ei custodes, eumque adduxerunt. Ipse autem dixit militi- * p. 285 bus qui stabant supra * murum ut advocarent ei comitem Anatolium, qui eo tempore civitatem custodiebat. Et ei advocarunt hunc et duces. Et cum eis loquutus est Petrus romanice [1] et revelavit eis dolum Iudaeorum. Ne autem res innotescat Persis rogavit eos ut darent sibi binas bracas. Primo quidem illi finxerunt se ei iratos esse, denique ei proiecerunt e muro binas bracas, quia revera indigebat bracis quas indueret; et postea e muro descenderunt. Et quasi nihil percepissent de dolo Iudaeorum et nescirent qualis sit locus, circumibant et inspiciebant fundamenta totius muri, quasi vellent videre num forsan postularet consolidationem ; hoc autem faciebânt ob Petrum, ne forte Persae discerent eum rem detexisse, et in eum aggravarent angustiam; ultimo venerunt ad locum quem Iudaei custodiebant, et invenerunt eum excavatum, et paratam esse ab eis excavationem profundam in turri, sicut eis dictum est. Et cum viderunt Romani quod ibi factum est, in eos magna cum ira egressi sunt et percurrerunt totam civitatem et omnem Iudaeum quem invenerunt necarunt, viros et mulieres, senes et pueros. Et id fecerunt per dies; et vix cessaverunt ab eorum destructione iussu comitis Leontii et suasione beati Barhadad episcopi; et civitatem vigilanter custodiebant nocte dieque, dum sanctus Barhadad circuibat et eos visitabat, et orabat pro eis et benedixit eis, et laudabat eorum diligentiam, et hortabatur eos, et adspergebat eos et murum urbis aqua bene- * p. 286 dicta[2]. Deferebat etiam * et circumferebat secum eucharistiam ut sacramento communicarent in suis locis, ne hac de causa unus ex illis relinqueret custodiam suam et e muro descenderet. Exivit etiam confidenter ad regem Persarum, et loquutus est cum eo et eum placavit. Cavades autem cum consideravit dignitatem viri et animadvertit vigilantiam Romanorum, non apparuit ei congruum ut vacaret apud Telam cum toto exercitu quem

[1] I. e. : graece. — [2] Ad litt. : aqua baptismi.

secum habebat : primo quia non inveniebatur ei nutrimentum in loco deserto, et deinde quia timebat ne duces exercitus Romanorum congregarentur unus cum altero et simul venirent adversus eum; propterea celeriter profectus est Edessam versus. Et subsedit ad fluvium Gallab, qui dicitur Medorum [1], circiter viginti dies. Audaciores autem qui erant in copiis eius circumibant regionem et eam vastabant.

Die sexto mensis ēlūl (septembri) Edesseni everterunt omnia monasteria et tabernas quae propinqua muro erant, et incenderunt pagum Kephar Ṣelem [2], id est Negbath; et succiderunt omnia septa hortorum et agrorum quae in circuitu erant et resecarunt arbores quae in medio eorum erant; et in urbem introduxerunt omnia ossa martyrum quae erant in eius circuitu; extulerunt arma supra murum et ligaverunt vela pilosa supra propugnacula.

Die nono eiusdem mensis mandavit Cavades Areobindo ut aut reciperet in urbe marzbanum suum aut exiret ad ipsum in planitie, quasi volens ferire cum eo foedus pacis ; secreto autem praescripserat copiis suis quod, si Areobindus concederet eis ut urbem ingrederentur, se converterent et murum occuparent ac ingressus urbis, donec ipse veniret et post eos ingrederetur; et, si foras exiret ad eos, insidias struerent * ei et apprehenderent eum vivum ac ad ipsum deducerent eum. Areobindus autem, quia timebat eis concedere ut urbem ingrederentur, exivit ad eos extra, at non recedit multum ab urbe, sed tantum usque ad ecclesiam Mar Sergii; et ad eum venit Bāwī, qui erat Persarum asṭabīd [3], quod interpretatur magister, et dixit Areobindo : Si vis ut pacem faciamus, da nobis librarum auri decem milia, et constitue nobis pactum quod sumpturi sumus singulis annis aurum consuetum. Promisit autem Areobindus dare libras usque septem milia. Sed noluerunt accipere, et cum eo controversiam habuerunt a matutino usque ad horam nonam; et quia non invenit opportunitatem pro sua perfidia, ob Romanos qui eum custodiebant, et rursus quia timebant Edessam bello aggredi, ob id

* p. 287

1 Arabice : *Djullāb.* — 2 Id est *vicus statuae*; situs ignotus. — 3 Apud Graecos : ἀσπεβέδης.

quod accidit Naʿamani, reliquerunt Areobindum Edessae, et profecti sunt ad impugnandam Ḥarran; et Saracenos omnes misit Sarug. Rifita [1] autem qui erat in Ḥarran, ex urbe secreto exivit, et incidit in eos, et occidit ex eis sexaginta viros, et principem Hunnorum vivum apprehendit. Et quia erat vir famosus et valde honoratus a rege Persarum, is promisit Ḥarranensibus quod si illum traderent sibi vivum se non dimicaturum esse cum eis. Hi autem timuerunt bellum, et hunc Hunnum tradiderunt, et miserunt cum eo, tanquam in eius honorem, MD arietes [2] et res alias.

Saraceni autem Persarum, qui missi fuerunt Sarug, iverunt usque ad fluvium Euphraten, vastantes, et captivos facientes et spoliantes quidquid possent. Patriciolus [3] autem, unus e
* p. 288 ducibus Romanorum, cum Vitaliano filio eius, * eo tempore venit ex Occidente ut descenderet in bellum; in audacia erat sine tremore, eo quod nondum proximus fuerat eis quae facta sunt prius. Cum transivisset fluvium obviam habuit unum e ducibus Persarum, et pugnavit cum eo et omnes Persas qui cum eo erant destruxit, et tetendit ad Edessam; sed audivit a profugis Cavadem circumdare urbem, et reversus trangressus est fluvium et Samosatae mansit.

Die 17a huius mensis, Mercurii die, vidimus verba Christi et promissa eius Abgaro facta [4] revera adimpleta esse. Congregavit enim Cavades totas suas copias, et profectus ab Euphrate venit obsidere Edessam. Extensa erant castra eius ab ecclesia martyrum Mar Cosmae et Mar Damiani, posita supra omnes hortos et supra ecclesiam Mar Sergii et pagum Bekin, usque ad ecclesiam Confessorum; et latitudo eorum usque ad clivum Ṣerrīn. Totus is exercitus innumerabilis uno die circumsedit Edessam, praeter custodias quae ei positae erant in montibus et collibus. Illis repleta erat tota planities; et apertae erant cunctae portae urbis, et non potuerunt Persae ingredi illam propter benedictionem Christi; sed terror cecidit in eos et manserunt in locis suis. Nemo quidem impugnavit

1 Perperam in codice adiunctum est signum numeri pluralis. — 2 Litt.: masculos ovium. — 3 Cf. LEBEAU, *Hist. du Bas Emp.*, t. VII, p. 354. — 4 Cf. p. 178.

eos a matutino usque ad horam circiter nonam; tunc nonnulli ex urbe exierunt et cum eis pugnarunt; Persas plures occiderunt et nullus vir ex eis cecidit; mulieres autem deferebant aquam et extra murum exibant ut potum darent eis qui pugnabant; et pueri iuvenes fundis iaculabantur. Tunc expulerunt eos pauci viri qui ex urbe exierunt * et removerunt eos e * p. 289 proximitate muri, quia non valde remoti erant ab eo, sed tantum iactu arcus, et abierunt consedere prope pagum Qubbē. — Die autem sequenti rursus exivit Areobindus extra Portam magnam, et stans contra exercitum Persarum, mandavit Cavadi : Ecce vidisti experimento non esse tuam nec Anastasii urbem hanc, sed Christi qui ei benedixit et se opposuit copiis tuis ne ea potirentur. Et mandavit ei Cavades : Da mihi pignora[1] quod non exibitis post me cum incipiam abire, et remitte mihi homines quos nudius tertius cepistis, atque aurum quod promisisti, et ego recedam ab urbe. — Et dedit ei Areobindus comitem Basilium et homines quos ceperat, qui erant viri quatuordecim; et fecit cum eo pactum quo ei daturus esset auri libras duo milia intra duodecim dies. Et profectus est Cavades et ivit consedere ad Dahbana; at praefinitum tempus[2] non expectavit, sed die sequenti misit ex suis virum cui nomen Hormizdas, cui iussit afferre auri libras trecentas. Areobindus autem convocavit apud se optimates civitatis ut examinarent quomodo illud aurum colligeretur. Et cum viderunt Hormizdam qui citius venerat, confortati sunt promissione Christi, animum sumpserunt et dixerunt Hormizdae : Nos viro mendaci aurum non mittemus; quia sicut revocavit verbum suum nec expectavit dum veniret dies ab ipso praefixa, ita iterum mentietur ubi aurum acceperit; nos autem credimus quod si impugnet nos rursus ignominia afficietur, quia Christus stat in fronte civitatis suae. Tunc roboratus est etiam * Areobindus et mandavit Cavadi : Nunc scimus te non * p. 290 esse regem; non est enim rex qui dat verbum et revocat falso. Si autem qui mentitur non est rex, cum iam a te mendacium manifestum fuit, remitte mihi comitem Basilium, et quod capax es facere fac.

1 ὅμηροι, obsides. — 2 προθέσμια.

Tunc valde iratus est Cavades, et armavit elephantes quos habebat secum, et profectus est ipse et tota castra eius, et venit rursum obsidere Edessam, die 24ª mensis ē l ū l (sept.), Mercurii die; et circumdedit urbem ex omni parte, arctius quam priore vice. Tunc omnes portae apertae erant. Areobindus enim vetuerat Romanos pugnare cum eo, ne videatur mendacium ex parte ipsius. Aliqui autem rustici qui erant in urbe exierunt contra eum cum fundis et plures ex tunica ferrea indutis, qui erant cum eo, prostraverunt, et ne unus quidem ipsorum cecidit. Procaces autem erant eius legiones [1] ad ingrediendam urbem; et ubi appropinquarunt ad eius portas, quasi turbo erectus e pulvere, deprimebantur, deficiebant et se vertebant. Propter autem celeritatem impetus equorum eorum funditores inter eos immiscebantur; at dum tela iaciebant Persae, et clavas vibrabant Hunni, et lanceas in eos dirigebant Saraceni, unum eorum laedere non poterant ; sed sicut Philistaei qui insurrexerunt adversus Samsonem, dum numerosi erant et armati non potuerunt illum occidere, ipse autem
* p. 291 armis nudatus mandibula asini mille eorum occidit, ita etiam * Persae et Hunni et Saraceni, ipsi et equi eorum profligabantur lapidibus quos iaciebant funditores, neque unum istorum occidere potuerunt. Et cum viderent se non posse ingredi urbem, neque homines nudatos qui inter eos miscebantur laedere, iniecerunt ignem ecclesiae Mar Sergii et ecclesiae Confessorum, et omnibus monasteriis quae supererant, et ecclesiae (pagi) Negbath; hanc enim oppidani reliquerant. Areobindus autem dux exercitus [2], cum videret sollicitudinem rusticorum et eos non esse confusos, et auxilium (divinum) quod eos comitatum erat, convocavit in diem sequentem cunctos rusticos qui erant Edessae in ecclesia et dedit eis donum trecentos denarios. — Cavades autem profectus est Edessa, et ivit castrametari ad fluvium Euphratem, et inde misit legatos ad imperatorem, ut notum ei faceret adventum suum. Saraceni autem qui erant cum eo transierunt fluvium in occidentem et spoliaverunt, vastaverunt, captivos fecerunt et incenderunt quidquid invenerunt. Aliqui ex equitibus Persarum iverunt Baṭnan [3]; et

[1] λεγεῶνες. — [2] στρατηλάτης. — [3] I. e. Sarug. —

quia ruptus erat murus eius, non potuerunt incolae resistere eis, sed sine pugna acceperunt eos et urbem eis tradiderunt.

Annus 815. — Imperator autem Romanorum, cum didicisset quae acciderant, Celerem magistrum suum misit cum exercitu numeroso. Cum autem hoc audivit Cavades itinera sua iuxta fluvium Euphratem direxit quasi iret residere in provincia sua quae appellatur Beth-Aramayē; et cum pervenisset in conspectu Callinici[1] illic misit marzbanum * qui impugnaret eos, * p. 292
et adversus hunc processit dux[2] Timostratus qui destruxit totum eius exercitum et ipsum vivum apprehendit. Cavades autem cum pervenit ad civitatem in eam direxit totum suum exercitum minitans se eversurum eam, et omnes incolas eius commissurum gladio et captivitati, nisi eam ipsi traderent. Timuit autem dux, ob multitudinem exercitus Persarum, et tradidit eam. Cum autem magister Celer pervenisset Mabbug, quae est ad Euphratem, et vidisset Cavadem migravisse ante eum et, cum iam aderat tempus hibernum, impossibile esse ut illum persequeretur, convocavit duces exercitus Romanorum et eos reprehendit eo quod non fuerant invicem concordes, et assignavit eis civitates in quibus hiemarent donec veniret tempus belli. — Die 25 kānūn prioris (decembri) prodiit edictum imperatoris ut remitteretur tributum[3] in tota Mesopotamia. Persae autem qui Amidae erant, cum vidissent exercitum Romanorum ab ipsis recessisse, aperuerunt portas urbis Amidae ; et exibant ibantque quo volebant ; et vendebant mercatoribus aes, stannum, ferrum, pannos obsoletos et quidquid inveniebatur in hac urbe; et in ea disposuerant reconditorium[4]. Patricius autem, his auditis, profectus est Melitena, ubi hiemabat, et venit castrametari prope Amidam; et omnes negotiatores quos inveniebat deferentes ibi frumentum et oleum, et eos etiam qui inde res emerant necavit. Invenit etiam Persas quos miserat Cavades ut ibi adducerent arma, frumentum et iumenta, et eos exterminavit, et tulit quidquid secum habebant. Quando hoc novit Cavades misit adversus eum marzbanum qui vindictam ab eo sumeret, et cum propin-

[1] Hodie Arabibus : *er-Raqqah*. — [2] δοῦξ. — [3] συντέλεια. — [4] ἀπόθετον.

* p. 293 qui erant ut invicem pugnarent, Romani, propter * metum cladis antecedentis, suaserunt Patricio ut aufugeret, et ipse huic annuit. Et in sua festinatione, cum nescirent quo irent, occursum habuerunt flumen quoddam quod vocatur Kallath [1], sed quia hiems erat et aquae multae erant in eo illud transire non potuerunt, sed quisque eorum qui conatus est transire flumen suffocatus est cum equo suo. Quod videns Patricius Romanos exhortatus est; dixit enim: O viri Romani, ne pudore afficiamus gentem nostram et officium nostrum, et ne fugiamus coram inimicis nostris; sed convertamus in eos; fortasse vincemus eos; si autem ipsi in nos praevaleant, decet mori ore gladii cum bona fama virtutis potius quam perire tanquam pusillanimes in suffocatione aquarum. Tunc annuerunt Romani eius consilio, ob periculum [2] fluminis. In Persas reversi sunt cum furore, et eos destruxerunt et duces eorum vivos ceperunt; et postea reversi sunt castrametari prope Amidam, et misit Patricius congregare artifices ex ceteris civitatibus et multos rusticos, et eos iussit fodere terram et cuniculum sub muro facere, ut commoveretur et rueret.

Mense ā d ā r (martio), dum congregabantur reliqui Romani ut descenderent cum Magistro, signum quoddam a Deo eis datum est ut confortarentur et in victoriam fiduciam haberent. In scripto autem id nobis notificatum est a clericis ecclesiae Zeugmatis. Ne autem existimes a memetipso quidquam enuntiari, aut rumori falso me addere fidem, ipsa verba epistulae nobis missae proponam; quae ita sunt : Audite ergo prodigium et miraculum [3] gloriosum cui non fuit simile : nam
* p. 294 id spectat ad nos, * et ad vos et ad omnes Romanos; factum est enim miraculosum, menti hominum creditu haud facile; nos autem oculis nostris vidimus, et palpavimus, et labiis nostris legimus, quod sine ullo scrupulo decet vos illud credere. Die 19° ā d ā r (martii), die Veneris, qui fuit dies mortis Salvatoris nostri, in ʿAgar, vico regionis Zeugmatis, anser peperit ovum in quo scriptae erant litterae graecae pulcrae et legibiles, quae erant sicut corpus ipsius ovi, et altae erant

1 ὁ Νυμφίος ; hodie vulgo *Batman-su*. — 2 ἀνάγκη. — 3 Litt. : novitatem.

visu et tactu in similitudine earum quas monachi inscribunt super particulas[1] eucharistae, et palpabiles erant eorum formae etiam pro caecis. Sunt autem haec : Crux delineata in latus ovi ita disposita ut circumdaret et involveret ovum et ab illa describeretur : ROMANI ; et rursum delineata erat crux alia et circuitu eius descriptum erat : VINCENT. Cruces delineatae erant una super alteram, et voces una super alteram. Non est christianus aut iudaeus qui vidit hoc prodigium, cuius os a glorificatione cessaverit. Litteras autem quas manus Dei descripsit intra sinum (anseris) imitari non audemus quia nimium pulcrae sunt. Quicumque igitur audiet, credat sine dubitatione. — Haec sunt verba epistulae Zeugmatensium. Ovum autem illud, ii quorum in vico partum fuit * Areobindo dederunt. * p. 295

Romani autem in numerosum exercitum collecti sunt et descenderunt obsidere Reshainam civitatem ; a Cavade etiam dena circiter milia Persarum missi sunt adversus Patricium. Ingressi sunt et castrametati sunt in Nisibi, ut ibi requiescerent, et miserunt iumenta sua pascere in monte Singara ; quo audito, Magister misit Timostratum, praefectum Callinici, cum sex milibus equitum ; is profectus est et incidit in eos qui equos pascebant eosque dextruxit, et inde abduxit equos et pecus et magnam praedam et reversus est ad exercitum romanum in Rheshainam. Postea profecti sunt omnes simul et abierunt apud Patricium ad obsidendam civitatem Amidam. — Mense ī y ā r (maio) Calliopus ḥalebensis factus est hyparchus[2], et venit habitare Edessae ; et dedit frumentum Edessenis ut facerent buccellatum[3] suis expensis ; et coxerunt hoc tempore octoginta et quinquaginta milia modiorum frumenti. Appion autem ivit Alexandriam ut ibi quoque facerent buccellatum et panem mitterent.

Patricius autem cum venisset in cuniculo effosso sub muro Amidae, lignis eum stipavit et eis iniecit ignem, et dissoluta est facies externa muri ac ruit, sed moles interna subsistebat ; et cogitavit in cuniculo fodere et ingredi in urbem. Et cum perfodissent canalem coeperunt Romani adscendere ; eos vidit mulier Amidena et prae gaudio statim clamavit : Ecce

1 Vox dubiae lectionis. — 2 ὕπαρχος. — 3 βουκέλλατον.

Romani ingrediuntur in urbem. Et audiverunt Persae, et cucurrerunt in eum qui primus adscenderat eumque confoderunt; et post eum adscendit Gothus nomine Ald[1], qui tribunus factus fuerat Harran, et tres ex his Persis transfodit; alius romanus post eum non adscendit quia eos animadverte-
* p. 296 rant Persae *. Et cum videret Ald neminem adscendere, timuit et retro reversus est, et voluit cadaver romani qui ceciderat secum auferre, ne contumelia illud afficerent Persae, et cum illud cadaver traheret et in os foveae descenderet, eum percusserunt et vulneraverunt Persae, et illic direxerunt aquas fontis abundantis qui erat in proximo et ibi suffocarunt quattuor armatos ex Romanis, qui parati erant adscendere; ceteri vero aufugerunt et inde exierunt. Et Persae lapides collegerunt ex interiore urbe et foramen obturaverunt, et supra illud accumulaverunt glebam multam, et attente omnia vicina custodiebant, ne in alio loco effoderetur. Foderunt autem fossas interiores per totum peribolum muri et eas aquis repleverunt, ut si Romani aliud foramen facerent intra hoc aquae defluerent et res manifestaretur. Cum autem Patricius id didicisset a proditore qui descendit apud ipsum, ab excavationibus destitit.

Quodam die dum castrametatus erat totus exercitus Romanorum et requiescebat, provocatio ad bellum accidit hoc modo. Puer pascebat camelos et asinos; asinus pascendo abiit et ivit usque ad murum, et puer timuit ire ut illum reduceret. Quidam ex Persis, cum vidisset illum, fune descendit e muro, volens illum discerpere et auferre, ut sit eis in cibum; caro enim nulla erat intra urbem. Miles autem romanus, genere suo Galilaeus, eduxit suum gladium et, clypeo manu sinistra apprehenso, cucurrit in Persam ut illum occideret, sed cum pervenisset ad murum, qui supra murum stabant lapidem
* p. 297 magnum iecerunt et Galilaeum obruerunt, * et Persa coepit in locum suum funis ope adscendere. Cum autem pervenisset ad dimidium muri, unus e ducibus Romanorum accessit, quem praecedebant duo (milites) clypeos gerentes, et e medio istorum sagittam misit ac percussit Persam, et proiecit eum apud Galilaeum. Et clamor ortus est ex utraque parte. Et propterea com-

[1] ALD ; vocales incertae.

moti sunt et surrexerunt in pugnam. Omnes exercitus Romanorum simul et dense presserunt urbem, et ceciderunt ex eis quadraginta viri, et centum quinquaginta vulnerati sunt; e Persis qui erant supra murum novem tantum videntur mortui esse, et pauci vulnerati fuerunt. Difficile enim erat eos impugnare dum in altitudine muri erant, nam etiam casulas parvas sibi exstruxerant per totum murum et intra eas stabant et pugnabant, et eis qui foris erant invisibiles erant. Magister autem et duces exercitus putarunt non opportunum ipsis ut impugnarent illos, nam caede eorum non foret victoria pro Romanis, eo quod bellum cum omnibus Persis eis incumbebat; et si Cavades devictus esset, isti seipsos traderent aut in sua inclusione perirent; et ideo vetuit ne quis cum eis pugnaret, ne forte ratione mortuorum aut vulneratorum ex Romanis maior pars exercitus perturbaretur.

Mense autem ḥ a z ī r ā n (iunio) Constantinus ille qui cum Persis procedebat, videns res eorum non prospere se habere, aufugit ab eis cum duabus notis mulieribus Amidenis quas ei dederat rex Persarum, et cum paucis qui eum comitabantur quattuordecim diebus gressus est die ac nocte in deserto quo nemo erat, et cum pervenisset in locum excultum * se notum * p. 298
fecit Arabibus [1] Romanis addictis, qui eum duxerunt et adduxerunt in castellum [2] quod vocatur Shūra [3], et inde eum Edessam miserunt. Et cum audivisset imperator adventum eius arcessivit eum, et cum profectus est ut ascenderet ad eum, iussit imperator cuidam episcopo ut eum consecraret presbyterum qui abiret in urbem Nicaeam et in conspectu suo non appareret, neque rebus publicis se immisceret.

Cavades autem cum cepisset Amidam ingressus est demosium [4] et beneficium balnei expertus est; et statim ac descendit in sedem suam praecepit ut balnea [5] in omnibus urbibus dominationis Persarum aedificarentur. ʿAdīd arabs qui subditus erat Persis defecit cum toto exercitu suo et se submisit Romanis. Rursum autem, mense t a m m ū z (iulio), pugnaverunt Romani cum Persis qui erant Amidae et Gaïnas [6], dux

[1] *Ṭayayē* ; ex tribu arabica Ṭay̆. — [2] κάστρον. — [3] Σοῦρα ; hodie *Ṣûriyeh*, prope er-Raqqah. — [4] δημόσιον, — [5] βαλανεῖα. — [6] Γαΐνας.

Arabiae, multos eorum sagittis vulneravit; cum autem die aestuosa sudore molestabat eum armatura eius, relaxavit paululum cingulum suae loricae, et ex Amida emiserunt tela balistae, sauciaverunt eum et mortuus est. Magister autem cum videret detrimentum sibi fore eo quod Amidam obsideret, abduxit exercitum suum et descendit in Beth-Parsayē[1], et Patricium reliquit adversus Amidam. Etiam Areobindus abduxit exercitum suum et descendit in Armeniam Persarum. Ex Armenis et ex Persis destruxerunt decem milia virorum; mulieres et parvulos triginta milia captivos fecerunt; pagos multos spoliaverunt et incenderunt, et quando redierunt ut in Amidam venirent adduxerunt oves, boves, iumenta centum et viginti milia. Cum autem transirent ad latus Nisibis, Romani sedebant in insidiis et qui comitabantur transmissam praedam pauci erant. Marzbanus autem qui erat illic cum vide-
* p. 299 ret eos paucos esse, armavit milites suos et exivit * ut praedam eis arriperet; et illi simulaverunt fugam, et Persae incitati eos persequebantur, et cum remoti essent a comitatu suo, Romani surrexerunt ex insidiis et eos dextruxerunt; nemo eorum salvus evasit; erant circiter septem milia virorum. Etiam Mushleq[2] armenus, qui subditus erat Persis, defecit cum toto suo exercitu et se submisit Romanis.

Annus 816. — Profugi et superstites bello ex incolis Amidae qui in ea remanserant, in cruciatu et tormento magno erant fame. Timebant enim Persae ne hi civitatem traderent Romanis, et ligaverunt cunctos viros qui ibi erant et coniecerunt in amphitheatro[3], et sic peribant fame et etiam vinculis perpetuis. Mulieribus autem e suis cibis dabant, quia scortabantur cum eis et quia eis indigebant ad molendum et coquendum; sed cum defecit eis cibus eas nutrire neglexerunt et sine nutrimento reliquerunt eas. Unusquisque enim eorum hoc anno non accipiebat nisi pugillum hordei quotidie; carne autem aut vino aut quolibet alio victu omnino carebant. Quia autem multum timebant Romanos ex excubiis suis minime discedebant; sed sibi instituerunt parvos furnos super murum et sustulerunt molas

[1] I. e. : in territorium Persarum. — [2] Armenice : *Mushegh.* — [3] κυνήγιον.

manuales, et in suis excubiis molebant istum pugillum hordei, coquebant et comedebant. Sustulerunt etiam magides pistorias amplas, posuerunt eas inter pinnas muri, gleba repleverunt eas et in eis legumina seminaverunt, et quidquid germinabat in eis comedebant.

Narrando quid fecerint mulieres huius loci forsan incredibile ero posteris nostris; hodie nemo est * e curiosis rerum notionis * p. 300 habendae cui non relata fuerint omnia quae facta sunt, etiam si magno spatio a nobis remota sint. Plures itaque convenerunt et coniurationem fecerunt, et furtive exibant sero aut mane in vicos civitatis et quemcumque inveniebant sive mulierem, sive puerum, sive senem, si capaces erant rapiebant intra domum, et eum occidebant et comedebant, sive coctum sive assatum; cum autem detectae essent odore assaturae, et res nota fuisset marzbano qui ibi erat, plurimas earum supplicio affecit et necavit, et minatus est ceteris ne id facerent et ne aliquem occiderent. Permisit tamen eis comedere mortuos, et id aperte faciebant; et comedebant carnem mortuam hominum; ceterae calceos pedum eorum, et sandalia detrita, et res sordidas collegebant in vicis et aulis ac comedebant. Exercitibus autem Romanorum nihil deficiebat, sed omnia suo tempore dabantur, quae ex edicto imperatoris magna sollicitudine mittebantur; et plus quam in civitatibus in castris eorum inveniebantur res venales : cibus, potus, calceus, vestimentum. Cunctae enim civitates coquebant buccellatum per pistores, et mittebant eis, praesertim Edessa. Coxerunt enim cives urbis in domibus, etiam hoc anno, iussu Calliopi praefecti [1] sexcentos et triginta milia modiorum, praeter id quod coxerunt rustici in tota regione et pistores peregrini [2] et indigenae. Rursus hoc anno adscendit episcopus * Mar Petrus apud imperatorem, * p. 301 ut ei suaderet tributum [3] remittere. Respondit ei imperator aspere; reprehendit eum quod reliquisset curam pauperum in tali momento, ut adscenderet ad ipsum. Dicebat enim Deum, si congruum esset, ipsi inspiravisse, sine interventu hominis, ut benefaceret urbi benedictae. Et, dum adhuc ibi esset episcopus, toti Mesopotamiae remissionem misit imperator per

[1] ὕπαρχος. — [2] ξένιοι. — [3] συντέλεια.

alium, inscio episcopo; etiam Mabbugensibus tertiam partem tributi remisit.

Duces autem Romanorum qui Amidam obsidebant, ad grassandum in regionem Persarum descendebant, et diripiebant, captivos faciebant et vastabant. Et coram eis Persae migraverunt; et flumen Tigrim transierunt, et illic invenerunt equites Persarum qui colligebantur ad procedendum adversus Romanos; et in eis animum sumpserunt, et in transitu Tigridis sisterunt. Et post eos transierunt Romani, et omnes equites Persarum occiderunt, circiter decem milia virorum et possessiones omnium captivorum spoliaverunt et vicos multos incenderunt et cunctos mares in eis occiderunt a duodecim annis et supra, mulieres autem et puerulos captivos fecerunt. Sic enim cunctis ducibus praescripserat Magister : Si inveniatur quis Romanus qui salvaverit marem duodecim annorum aut supra, ipse occidetur pro illo; et in omni pago quem ingredientur ne relinquant in eo domum unam erectam. — Et ideo viri robusti ex Romanis selecti, et multi rustici qui eos comitati erant quando descenderunt, postquam incenderant tecta, et exstinctus erat ignis evertebant etiam parietes;
* p. 302 amputabant * et destruebant quoque vineas, olivas et omnes arbores. Etiam Saraceni Romanorum ante eos Tigrim trangressi sunt, et spoliaverunt, rapuerunt et vastaverunt quidquid invenerunt apud Persas. Cum autem scio te omnia diligenter perscrutari, percipiet Sanctitas tua etiam hoc : Saracenis ambarum partium causam magni lucri hoc bellum fuisse, et explevisse eorum desiderium in utroque imperio.

Cavades autem cum videret Romanos destruere regionem, et neminem esse qui eis se opponeret, voluit ipse obviam eis procedere. Et ideo misit a s ṭ a b ī d [1] ad Magistrum ut tractaret de pace, dum secum habebat exercitum circiter viginti milia hominum; misit autem omnes viros conspicuos quos captivos fecerat Amidae, et Petrum quem abduxerat ex Aspharin [2], et Basilium quem Edessae inter obsides ceperat, et etiam cadaver ducis Olympii qui venerat in legationem apud ipsum et ibi mortuus erat; illud misit in theca [3] sigillata, ut ostenderet

1 Cf. p. 211. — 2 Cf. p. 209. — 3 γλωσσόκομον.

eum non aliter quam morte naturali mortuum esse, testantibus eius servis et iis qui cum eo descenderant. Magister autem accepit eos et Edessam eos misit praeter praefectum Amidae et comitem Petrum; nam iratus et furore captus volebat neci eos tradere. Aiebat enim segnitie eorum tradita fuisse loca quae custodiebant, et murum Amidae inexpugnabilem esse ipsi Persae testabantur. — Asṭabīd autem petiit ab eo et eum supplicavit ut, pro eis quos adduxit, ipsi daret Persas qui Amidae obsidebantur, nam etsi terrorem suum superabant, tamen in magna angustia erant ob famem. Magister autem respondit : Negotium istorum ne mihi rememoreris; quia in civitate * nos- * p. 303 tra inclusi sunt et servi nostri sunt. Dixit ei asṭabīd : Saltem sine me eis mittere cibum; non enim decet te ut servi tui fame pereant; quando quidem velis, facile tibi est eos occidere. Dixit ei : Mitte. Dicit asṭabīd : Iura mihi tu et omnes ductores et duces exercitus qui sunt apud te, quod nemo occidet eos quos missurus sum. Et ei iuraverunt omnes, praeter Nonnisum ducem qui cum eis non erat per astutiam; propterea enim eum relinquerat Magister, ne si fieret quoddam iuramentum ab eo teneretur. Misit itaque asṭabīd trecentos camelos onustos saccis panum, in quibus deposita erant tela. In eos surrexit Nonnisus, eos illis eripuit et viros qui cum illis erant necavit. Quando autem asṭabīd de hoc facto conquestus est et petiit a Magistro ut capite plecteret virum qui illud fecit, ei respondit Magister : Non possum scire quis id fecerit, ob amplitudinem exercitus qui est mecum; si tu scis quis sit et tibi est vis ad vindictam ab eo sumendam, non te prohibeo. Asṭabīd autem id timuit, et pro pace supplicabat.

Postquam multi dies elapsi erant ex quo pro pace supplicabat accidit frigus magnum, et nix, et glacies frequens; et Romani unus post alterum castra sua deseruerunt; quisque detulit quod ex praeda ipsi competebat et profectus est ut locum suum repeteret; qui manserunt, et in loca sua non iverunt, ingressi sunt Telam et Reshainam et Edessam, ut protegerentur adversus frigus. Asṭabīd autem cum videret Romanos debilitatos esse et non potuisse * asperitatem frigoris sustinere, mandavit Magis- * p. 304 tro: Aut fac pacem, et sine Persas ex Amida exire; aut accipe bellum. Magister autem praecepit comiti Iustino ut congre-

garet exercitum; sed non potuit. Et cum videret maiorem partem Romanorum ab ipso recessisse, fecit pacem et sivit Persas ex Amida exire, hac conditione : Si id placeret ambobus regibus [1] et probarent quod fecit; et si non, bellum inter eos resumeretur. Imperator autem Romanorum, cum didicisset quae facta sunt, iussit reconditorium [2] constitui in singulis civitatibus, et praesertim Amidae; ut quidem dissiparet inimicitiam et firmaret pacem, Cavadi misit, per virum nomine Leonem, dona et munera, ac vasa mensae suae omnia aurea. — Quantum autem passi sint Edesseni qui frumentum Amidam deducebant, nemo scire potest nisi hi qui negotio adfuerunt : plerique enim eorum in itinere perierunt, ipsi et iumenta eorum.

Eximius autem Iohannes, episcopus Amidae, requieverat antequam eam obsiderent Persae; et adscenderant eius clerici ad sanctum, Deum diligentem, omnibus divinis dotibus ornatum, strenuum et illustrem Mar Flavianum, patriarcham Antiochiae, ut institueret eis episcopum. Eos excepit cum honore quamdiu illic fuerunt, et postquam a captivitate liberati sunt eximius Nonnus presbyter et oeconomus ecclesiae Amidensis
* p. 305 clerici eum commendarunt patriarchae, et is fecit eum eis * episcopum. Ipse eximius Nonnus, accepto summo sacerdotio, misit Constantinopolim Thomam chorepiscopum suum, ut gubernaret Amidenses qui ibi erant, et postularet aliquod donum ab imperatore ; et ei adhaeserunt qui illic erant et rogaverunt imperatorem ut ipse Thomas fieret eis episcopus. Et petitionem eorum accepit imperator ac mandavit patriarchae ne se opponeret eis; et etiam imperator dedit eis gubernatorem quem postulaverant. Dederunt autem imperator et patriarcha munera ecclesiae Amidensi, aurum multum quod distribuendum erat pauperibus, et ideo congregati sunt illic omnes qui in ceteris locis vagabantur; et tota die educebant ex Amida cadavera mortuorum et tunc accipiebant quod pro eis statutum erat.

Etiam Urbicius [3], minister imperatoris, cui magnae largitiones factae fuerant in regione Ierusalem et in aliis locis, des-

[1] I. e. Anastasio et Cavadi. — [2] ἀπόθετον. — [3] Οὐρβίκιος.

cendit ibi et dedit denaria singula [1]. Et inde venit Edessam, et unicuique mulieri quae voluit sumere dedit trimissim [2], et singulis pueris zūzā unum; et fere omnes mulieres sumpserunt, quae indigebant et quae non indigebant.

Eo autem anno, postquam cessavit bellum, ferae bestiae nos aggressae sunt, quae, propter multitudinem cadaverum quae ceciderunt in praeliis, sapidum habebant devorare corpora hominum; et quando putruerunt et defecerunt cadavera occisorum, ingrediebantur bestiae in vicos et pueros rapiebant ac comedebant; etiam in viros solitarios in viis incidebant et eos lacerabant. Adeo (eas) timebant, ut tempore messis colligendae nemo per totam regionem vellet pernoctare in area sua sine * tugurio, ob timorem bestiarum ferarum. Auxilio * p. 306. autem Domini nostri qui semper curam habet de nobis, et misericordia sua liberat nos ab omni periculo, pars earum cecidit in manus rusticorum qui perfoderunt eas et corpora earum mortua Edessam miserunt. Venatores etiam aliquas ceperunt, ligaverunt et eas vivas adduxerunt, et cuncti viderunt et laudaverunt Deum, qui dixit [3] : Terrorem vestrum et tremorem vestrum dabo super omne animal terrae. Etiamsi enim propter peccata nostra missa sunt in nos bellum, fames, pestis, captivitas, bestiae ferae, et castigationes aliae quae scriptae sunt et non scriptae, tamen bonitate sua ab omnibus nos liberavit; et etiam me debilem, propter misericordiam suam, per orationem tuam, roboravit ut scriberem, quantum possum, partem eorum quae acciderunt, in memoriam eorum qui haec passi sunt, et ad instructionem eorem qui post nos venturi sunt ut, si velint, ex paucis quae scripsero erudiri possint; plura enim sunt quae omisi quam quae scripsi; etiam enim ab initio dixi me omnibus non sufficere. Calamitates enim quas unusquisque homo seorsim passus est si scriberentur, narrationes amplae forent, quibus magnus liber non sufficeret, et tibi licet [4] discere ex eis quae alii scripserunt. Etiam hi qui nomine liberatorum in auxilium nostrum venerunt, cum descendebant et cum adscendebant, fere quasi inimici nos spoliabant. Multos

[1] I. e. unum denarium singulis habitantibus. — [2] I. e. tertiam partem aurei. — [3] *Gen.*, IX, 2. — [4] Ad litt. : « tuum est ».

enim pauperes e lectis eorum descendere fecerunt, et in eis dormierunt, dum eorum possessores supra terram recumbebant in die frigoris; alios e domibus eorum eiecerunt et exire fecerunt, et in eas ipsi ingressi sunt et sederunt; aliorum
* p. 307. pecora quasi praedam belli vi * abducebant; tegumento corporum alios exuebant, quod auferebant; cum aliis duris ictibus utebantur ob rem quamcumque; cum aliis iurgium in viis suscitabant et eos damno afficiebant ob rationem minimam; cibum modicum omnium et commeatum singulorum in vicis et civitatibus aperte rapiebant; in itineribus in plures incidebant; et quia eis non sufficiebant atria et diversoria civitatis, cum opificibus in tabernis eorum habitabant, et palam mulieres opprimebant in plateis et domibus, a mulieribus senibus et viduis, et pauperibus oleum et ligna et salem et res alias in suum commodum tollebant; et in servitium suum earum ministeria cessare faciebant; et summatim omnes molestabant, magnates et plebeios, et nemo mansit quem non attigerit malitia eorum; etiam principes loci, qui constituti erant ad regendos et excipiendos eos, manus suas muneribus protendebant et cum ab omnibus sumerent, nemini parcebant, sed quibus primo advenas imposuerant post dies eis alios mittebant. Etiam apud presbyteros et diaconos diversabantur, quamvis haberent sacram [1] (epistulam) imperatoris ne diversarentur apud eos. Et quare plura enarrare laborarem ego, ad quae etiam me maiores fortasse impares sunt? Postquam fluvium Euphratem transgressus est in Occidentem, Magister ivit apud imperatorem, et Areobindus in Antiochiam, et Patricius in Melitenam, et Pharezmanes in Apamaeam, et Theodorus in Damascum, et
* p. 308. Calliopus in Mabbug, fuit quies * paulula Edessae, et pauci viri qui remanserant in ea gavisi sunt; et Eulogius praefectus [2] curam habebat de eius reconstructione, et dedit ei imperator ducentas libras in expensas aedificationis, et aedificavit ac renovavit totum antemurale quod circumdat civitatem, et renovavit etiam et stabilivit aquae ductus [3] duos qui veniunt e pago Tell-Zema et e Maudad, et reaedificavit ac perfecit

[1] σάκρα. — [2] ἡγεμών. — [3] ἀγωγοί.

balneum[1] quod ruerat, renovavit etiam praetorium[2] suum, et plura aedificavit per totam urbem. Etiam episcopo dedit imperator viginti libras in expensas renovationis muri, et Urbicius minister decem libras ut aedificaret ecclesiam beatae Mariae. Oleum autem quod dabatur ecclesiis[3] et monasteriis ab officio olei, quod erat VIMDCCC sextariorem dempsit ab eis praefectus et iussit ut illuminaret porticus urbis. Propter hoc, multum ei reclamaverunt apparitores[4] sed non consensit, et ne putaretur templa Deo aedificata contemnere, ex suo dedit singulis martyriis ducentos sextarios. Usque ad hunc annum pro denario dabantur tritici modii quattuor, et hordei sex, et vini duae mensurae; post autem novam segetem denario venumdabantur tritici sex modii et hordei decem.

Saraceni autem Persidis non quieverunt aut siluerunt, sed invaserunt Beth Romayē, absque Persis, et depraedati sunt duos pagos; et cum id didicisset marzbanus Persarum, qui erat Nisibi, apprehendit antistites eorum et occidit eos. Etiam Saraceni dicionis Romanae transierunt sine mandato in dicionem Persarum et diripuerunt viculum. Quando id factum audivit Magister, qui sub finem huius * anni descenderat Apameae, * p. 309.
mandavit Timostrato, duci Callinici, et is apprehendit quinque ex antistitibus eorum : duos gladio occidit et tribus stipitem adegit. Pharezmanes autem ex Apamea profectus est, postquam ibi descendit Magister, et venit habitare Edessae, et ab imperatore obtinuit auctoritatem ut fiat dux exercitus loco Hypatii. Murus vici Baṭnān, in Sarug, qui ruerat et totus perruptus erat reaedificatus est et renovatus sollicitudine Eulogii, praefecti Edessae. Eximius autem presbyter Aedesius aere obduxit portas aulae virorum in ecclesia Edessae.

Annus 817. — Duces autem exercitus Romanorum imperatori notum fecerunt copias magnum pati detrimentum eo quod non haberent urbem in confiniis sitam. Quotiescumque enim Romani ex Tela aut ex Amida egrediebantur, ut circumirent ᶜArabam[5] ob grassatores, in timore erant ubicumque castra ponerent, ob dolum inimicorum. Si autem accidebat ut exerci-

[1] δημόσιον. — [2] πραιτώριον. — [3] Lt. : martyriis. — [4] παραμονάριοι. — [5] Mesopotamiae tractus ab Arabibus habitatus.

tus invenirent se numerosiores et retrocedere cogitarent, laborem magnum tolerabant eo quod non erat urbs proxima in qua protegerentur. Et ideo ut murus pagi Darae, qui ad limitem situs erat, aedificaretur iussit imperator; et collecti sunt lapicidae ex omni Syria, et illic descenderunt et illum aedifi-
* p. 310. carunt. Persae autem e Nisibi egrediebantur et prohibebant * eos. Propterea Pharezmanes Edessa profectus est et descendit habitare Amidae; et exibat ad eos qui aedificabant eosque adiuvabat. Etiam magnam venationem agebat, praesertim in apros silvestres qui ibi multiplicati erant, ex quo locus devastatus est; ex eis plusquam quadraginta uno die venatus est; ad manifestationem fructuosae venationis suae ex eis etiam Edessam misit vivos et occisos.

Eximius autem Sergius, episcopus Birtae arcis[1], quae prope nos sita est ad fluvium Euphratem, coepit etiam ipse aedificare murum civitati suae, et imperator ei dedit aurum non mediocre in eius expensas. Etiam murum Europi[2], quae ad occidentem fluminis sita est in praefectura Mabbug, aedificari iussit Magister, et in eo laborabant incolae loci secundum vires suas.

Postquam autem Amidam descendit Pharezmanes, eius loco venit dux Romanus, et Edessae resedit ipse et exercitus eius; et magnas eleemosynas fecit pauperibus; omnibus quidem beneficiis addidit imperator hoc anno et misit remissionem tributi[3] toti Mesopotamiae, et laetati sunt cuncti possessores agrorum, ac imperatorem laudabant. Plebei autem murmurabant, clamabant et dicebant : Non aequum est ut resideant Gothi apud nos, sed apud possessores agrorum, si quidem isti adiuti fuerunt hac remissione. Praefectus autem iussit eorum
* p. 311. petitionem exaudiri; et quando hoc * fieri coepit congregati sunt omnes magnates civitatis apud ducem Romanum, eum rogaverunt et ei dixerunt : Iubeat celsitudo tua quid liceat singulis Gothis per mensem sumere, ne forte quando ingrediuntur in domos hominum locupletorum praedentur sicut plebem praedati sunt. Ipse accepit petitionem eorum et statuit

1 Hodie gallice : Beredjik. — 2 De situ urbis cf. HOFFMAN, *Auszüge aus Akt. Pers. Martyr.*, p. 161. — 4 συντέλεια.

ut sumerent unoquoque mense poculum olei, et ducentas libras ligni et lectum ac stratum pro duobus. Quando autem audiverunt Gothi mandatum hoc cucurrerunt in ducem Romanum, ad domum Barsae, ut occiderent eum. Cum autem scalas adscendebant eius habitaculi, audivit vocem vociferationis et tumultus eorum et intellexit quid facere volebant. Celeriter armaturam suam induit, sumpsit vestes suas et gladium suum evaginavit, et stetit ad portam superiorem in qua haerebant: nullum ex Gothis occidit sed gladium suum vibrabat et prohibebat eos qui primi adscenderant ne ad ipsum ingrederentur. Hi autem qui infra erant urgebant in suo furore illos qui supra eos ut adscenderent et ad illum ingrederentur. Scalas autem huius palatii ingens populus occupabat, sicut scit tua Sanctitas. Cum enim primi qui adscenderant non valerent intrare propter timorem caedis et alii eos urgerent, viri multi occupaverunt scalas et propter pondus confractae sunt et ceciderunt super eos. Pauci eorum mortui sunt sed multorum laesa sunt * membra, et confracta fuerunt, et non rursum sana facta sunt. Romanus, cum haberet moram ex illa praecipitatione, per tectum aufugit e domo in proximam et salvatus est. Et non amplius aliquid dixit eis; et hac de causa manserunt ubi residebant, et ad libitum suum se gerebant; et nemo erat qui eos redargueret aut cohiberet vel corrigeret. * p. 312.

Episcopus noster Mar Petrus in morbo gravi et molesto erat toto hoc anno.

Mense autem n ī s ā n (aprili) rursum graviter invaluit oppressio in civitatem nostram. Magister enim collegit totum exercitum et surrexit ut descenderet in dicionem Persarum, ut stabiliret et renovaret cum eis foedus pacis; et cum ingressus est Edessam ad eum venerunt legati Persarum, et nuntiaverunt ei asṭabīd, qui occurerat ei ut cum eo foedus faceret, mortuum esse; et eum rogabant ac ei dicebant : Oportet te, si ad pacem descendisti, non discedere Edessa priusquam asṭabid alius mittatur a rege Persarum. Et ipse petitionem eorum accepit, et Edessae mansit quinque mensibus. Et quia civitas non sufficiebat Gothis qui cum eo erant, residebant etiam in pagis et in omnibus monasteriis magnis et parvis quae sunt circa urbem; itaque nec illi qui in solitudine habitabant potuerunt

habitare in silentio quod diligebant, quia etiam apud eos residebant in eorum monasteriis. Primo enim die quo venerunt tam avide indulserunt cibo et potui, eo quod non ex suis come-
* p. 313. debant, ut, cum gavisi essent in domibus altis, exirent * noctu et, obtusi nimio vino, transgrederentur locum propitium et in profundum detruderentur, et pessimo fine e vita migrarentur. Alii autem, dum sedent et bibunt, somno obruti sunt et ceciderunt ex altis domibus et in loco mortui sunt. Alii vexabantur supra lectos suos ob nimium cibum. Alii aquam ferventem iaciebant in auribus eorum qui eis ministrabant propter culpas minimas. Alii ingressi erant hortum ut sumerent olera et, cum staret hortulanus ut prohiberet eos quin sumerent, mortem ei telo inflixerunt, et sanguis eius non vindicatus est. Aliorum crescebat malitia et nemo erat qui eam reprimeret : illi apud quos diversabantur magno studio utebantur cum eis et omnia secundum eorum placitum faciebant, et quia non dabant eis occasionem nocendi illis, furore suo devicti seipsos mutuo occidebant. Fuisse inter eos aliquos qui honeste vivebant, non latet sapientiam tuam; impossibile enim est ut in exercitu tam numeroso sicut ille non inveniantur aliqui tales. Malitia malorum adeo invaluit ad malefaciendum ut qui inter Edessenos malo animo dispositi erant quod non decet ausi sint facere. Murmura adversus Magistrum chartis consignaverunt et in locis notis urbis secreto affixerunt. Ille autem hoc audito, non iratus est sicut poterat, nec quaesivit qui illud fecerat; neque quid mali urbi facere meditatus est, propter suam benignitatem, sed magnam sollicitudinem habuit cito et celeriter discedendi ab Edessa.

* p. 314. * Annus 818us. — Abduxit itaque Magister totum exercitum suum et descendit in confinium. Et venit ad ipsum, in Daram civitatem, legatus Persarum; erant cum eo etiam obsides qui missi erant ab asṭabīd. Et rursum exposuit ei quod si vellet facere pacem debebat et ipse obsides remittere pro illis quos acceperat; et postea accedant in amicitia ambae partes, et invicem occurrant singulae cum quingentis equitibus non armatis, et tunc sedeant in deliberatione et quae congruunt faciant. Et accepit petitionem eorum, et obsides remisit. Et obviam asṭabīd, in die praefixo, ivit sine armis. Sed quia

timebat ne aliquis dolus sit adversus eum ex parte Persarum, instituit totum exercitum Romanorum ex adverso, et quidem armatum; et dedit eis signum, et iussit ut si appareret eis hoc signum, celeriter venirent apud ipsum. Cum obviam ei venisset asṭabid, et in deliberatione sederent Romani et omnes duces qui cum eis, quidam miles romanus attente inspexit et vidit armatura esse interius indutos omnes qui venerant cum asṭabid; hoc autem notum fecit Pharazmani duci exercitus, et duci Timostrato; qui signum copiis ostenderunt; et statim tubis sonuerunt et apud illos pervenerunt, et asṭabīd ac eos qui cum eo erant medios incluserunt. Exercitus autem qui erat in castris Persarum, quando novit inclusos esse asṭabīd et qui cum eo erant, prae timore suo fugerunt et Nisibim ingressi sunt; Romani autem asṭabīd et eos qui cum eo erant apprehendere volebant ad occidendum; * Magister suadebat * p. 315. eis ne essent causa belli et removerent pacem; et vix consenserunt. Tamen eum exaudiverunt et siverunt asṭabīd, et eos qui cum eo erant, e medio eorum exire, nec ullo modo eis nocuerunt; etiam enim in sua victoria pacifici sunt duces Romanorum. Asṭabīd autem, cum in castra sua reversus est et vidit Persas Nisibim ingressos esse, timuit solus remanere et adscendit ipse apud eos, et urgebat eos secum ex urbe exire; sed propter timorem suum nolebant exire. Ne autem manifestaretur timor eorum Romanis, asṭabīd misit et Nisibim adducere fecit suam filiam quam, pro more Persarum, in uxorem sumpsit. Quando autem Magister ei mandavit cum iuramentis : Nemo nocebit tibi, etiam si solus exeas, ille remisit responsionem : Non prae timore non exeo, sed ut adimpleatur dies convivii nuptialis. Cum autem totum negotium optime sciret Magister, quasi nihil sciret quievit. Post dies, quando ad ipsum exivit asṭabīd omnia negotia, quae sibi proposuerat a Persis repetere, omisit amore pacis, cum ipsis foedus pepigit et pacem fecit; et mutua scripta scripserunt quibus certum tempus definiverunt quo bellum alteri in alteros non excitarent. Et omnes exercitus gavisi sunt et laetabantur in pace quae facta est.

Cum adhuc ibi in limite essent Celerius magister et Calliopus, litteras ab imperatore Anastasio acceperunt, quaė sollici-

* p. 316. tudine et misericordia pro tota regione Mesopotamiae * plenae erant; ita scripsit eis : Si sciant aequum esse ut remittatur tributum, sit eis auctoritas illud sine mora remittendi. Illi autem existimarunt quod remittendum esset regioni Amidensium totum tributum, et regioni Edessenorum eius dimidium. Et id mandaverunt et notum fecerunt Edessae; et paulo post etiam alias litteras mandaverunt quae de pace facta edocebant.

Die XXVIII mensis tešrī posterioris (nov.) abduxit totum exercitum et adscendit e confiniis Magister; et cum pervenit Edessam eo animo erat ut non intraret in eam, ob murmur eorum adversus ipsum; sed beatus Barhadadus, episcopus Telae, rogavit eum ne daret locum irae quae in eo dominabatur, neque post se cuiquam relinqueret angorem aut molestiam. Ille suasioni eius prompte annuit. Et etiam Edesseni omnes summa alacritate exierunt obviam ei, deferentes cereos, a maiore ad minorem; etiam omnes clerici [1], et religiosi et monachi, cum eis exierunt, et urbem ingressi sunt in magno gaudio. Totum suum exercitum ipsa die dissolvit ut abirent; ipse vero mansit tres dies et dedit praefecto ducentos denarios ut dona distribueret. Cives gaudebant in pace quae facta est, et laetabantur in liberatione iam sibi accipienda ab angustia in qua versabantur, et exultabant in spe futurorum bonorum quae exspectabantur, et Deum, qui in sua bonitate et suis misericordiis pacem immisit duobus regnis, laudabant in canticis congruentibus, et virum quem miserat comitati sunt cum profectus est.

Si aliter in fine suae vitae visus est iste imperator, nemo
* p. 317. turbetur ob laudes eius, * sed recordetur eorum quae a Salomone sub finem vitae eius facta sunt.

Haec pauca inter multa ut potui, volens nolens scripsi dilectioni tuae; nolens quidem, ne fatigarem sapientem cognitorem qui melius quam ego haec omnia comperta habet; volens autem propter oboedientiam iussioni tuae; et nunc persuasus sum quod tu etiam adimplebis promissionem in tua epistula factam, constanter offerendi Deo preces pro me peccatore.

[1] κληρικοί.

Mihi enim cura erit, nunc cum didicerim placitum tuum, ut ea quae fient in temporibus futuris et digna memoriae erunt consignem et ad tuam Paternitatem mittam. Si tamen in vita permaneo. Oremus ergo, nos hic, et tua Paternitas illic, et omnes homines undique, ut super magnam mutationem in mundo factam sit sermo narrationis, et sicut res temporum malorum enarrare quales sunt incapaces fuimus ob multiplicitatem eorum afflictionis, utinam res futuras non possimus enarrare ob multiplicitatem earum bonorum, sed impar sit sermo noster enarrare mores bonos concivium nostrorum, et pacem ac quietem quae regnabunt in mundo, et magnam ubertatem venturam, et abundantiam copiosam segetis benedictionis Dei, qui dixit [1] : Oblivioni dentur angustiae priores et etiam evanescant coram me; — cui sit gloria in saecula saeculorum. Amen.

[1] Is., LXV, 16.

———

INDICES

I. — INDEX BIBLICUS

II. — INDEX GEOGRAPHICUS

III. — INDEX PERSONARUM [1]

[1] Interdum, raro tamen ut speramus, Index eodem nomine comprehendit personas homonymas quas ab ipso auctore Chronici pressius non distinctas sola investigatio critica valebit ab invicem distinguere.